















M







ANTONII DE HAEN,

CONSILIARII ET ARCHIATRI

S. C. R. A. MAJESTATIS,

NECNON MEDICINÆ PRACTICÆ

IN UNIVERSITATE VENDOBOBONENSI

PROFESSORIS PRIMARIÏ,

RATIO MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO.

TOMUS SEXTUS,

PARTEM XI. COMPLECTENS:

*Accessere ejusdem auctoris libelli tres ; scilicet  
Historia anatomico-medica morbi miri & in-  
curabilis : de Deglutitione Dissertatio : Quæ-  
stiones super methodo inoculandi Variolas.*

Singula Volumina compacta vœneunt ; lib.



PARISIIS,

Apud P. F. DIDOT, Juniorem ; Bibliopolam,  
ad Ripam Augustinianorum, in ædibus dictis de  
Luynes, sub signo Sancti Augustini.

M. DCC. LXXVI.

*Cum Approbatione, & Privilegio Regis.*



ANTONIN DE HAER

CONSILIARI ET ARCHIVARI

S. C. R. A. M. A. L. L. E. S. T. A. T. I. S.

IN MEDICINA PRACTICA

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSIS

PROFESSORIS PUBLICI

RATIO MEDICINAE

IN NOBILISSIMO FRAGMENTO

TO M. P. P. P. P.

EX LIBRIS XI. COMITATU

IN VINDOBONA

IN AUSTRIA

IN REGNO BOHEMIAE

IN REGNO SLOVACIAE

IN REGNO HUNGARIAE

IN REGNO CROATIAE

IN REGNO SERRAE

IN REGNO BOSNIAE

IN REGNO MONTENEGRO

IN REGNO ALBANIAE

IN REGNO GREECE

IN REGNO TURCIAE

IN REGNO SYRIAE





---

---

# ELENCHUS CAPITUM

UNDECIM PARTIS.

CAPUT I. De febribus intermit-  
tentibus. *page* I

CAPUT II. De morbis acutis. 65

CAPUT III. De ileo morbo. 92

CAPUT IV. De vario hydrope  
150

CAPUT V. Anatomica quædam,  
& tabularum explicatio. 246

---

---

## AD CALCEM ADDUNTUR

LIBELLI TRES.

1<sup>o</sup>. Historia anatomico-medica  
morbi miri & incurabilis.

2<sup>o</sup>. De deglutitione, vel deglu-  
titorum in cavum ventriculi des-  
censu impeditis, dissertatio.



3°. Quæstiones super methodo inoculandi variolas.



ANTONII





*ANTONII DE HAEN,*  
*RATIO MEDENDI.*  
*PARS UNDECIMA.*

---

*CAPUT I.*

*DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.*

*§. I. II. III. Febres intermittentes tres pertinaces, quarum prima, alteraque, quodam decocto curata, sine cortice kinâ; tertia partim eodem, partim cortice. De triplice tumorum genere, quos febres intermittentes generare solent. De abusu evacuantium remedium in genere tertio tumorum horum.*

*Dua crises indurationis in hypochondrio sinistro, per naris sinistrae hemorrhagiam; imperfectiores tamen, & cum aliâ crisi metastaticâ junctâ.*



## RATIONIS MEDENDI.

Trium harum febrium posterior, tertiana primam fuit, dein quotidiana, ad tertiam usque vicem recidiva. Quadam de incertitudine determinandi naturam febris, à priore ejusdem paroxysmo. Calor naturali calore major in frigore febrili, cum algore, & universi corporis concussione. Intermittentium quandoque aestus major, quam acutorum. Suspecta crisis, quæ per extrema manuum pedumque fit. Kina nonnunquam parvâ dosi rebellem febrem curat, referatque certo sensu obstructions. §. IV. Omnes notæ febrium intermittentium methodi recensentur, omniaque auxilia, quæ, ab omni ævo, à medicis, empiricisque, ad nostra usque tempora, ad febris hujus curam adhibita sunt. Si qua fortè remedia desint, hæc postea facile suas erunt ad classes, hinc expositas, referenda. Epicripsis ad singulam methodum.

§. I. **M**ULTIPLICES aded sunt, quas nosocomium, quasque nonnunquam quidam extra nosocomium casus suppeditant, observationes, ut quid seligam ex illis, quid ordine prius, quid posterius referam, hæream anceps. Exor-



dium tandem hoc anno à febribus intermittibus capere visum fuit, 1<sup>o</sup>. quia hæ febres multam sibi vindicant præxeos partem. 2<sup>o</sup>. quia præcedentibus hujus operis tomis rariùs egi de illis. 3<sup>o</sup>. quia difficilis sæpè earum medicina est. tandem 4<sup>o</sup>. quia video juniores medicos, quantiscunque meritis lauream apollineam adeptos, sæpè vacillantes; & anæ forsitàn vulgi febrifuga, agyrtarumque arcana, methodicæ curæ, quam in scholâ medicâ didicerant, præferenda non forent, anxîâ mente perquirentes. His universis de causis primùm nonnulas intermittentes febres pertinaciores, symptomatibusve graviores, enarrabo; & adjunctâ, quam singulis adhibui, methodo medendi, cunctas deinceps medendi methodos ad suas quasque classes referam, & exponam.

Vir quadragenarius, hortulanus, anno 1765. febre intermittente autumnali laboravit; à primo in alterum paroxysmum quartanâ, deinceps verò per mediam hyemem usque tertianâ. Die 23. Jan. 1766. me convenit, adhuc tertianarius. Molestum patiebatur à febre aurium susurrum, ventris superioris pondus, viriumque defectum. Tempus fe-



4 RATIONIS MEDENDI  
bris abigendæ ratus, corticem peruvia-  
num non dedi prorinùs, sed decoctum  
admodùm solvens, quo & febrim, &  
febris tollere effectus possem. Formu-  
lam adscribam, cum postmodum sæpiùs  
ejusdem mentio habenda sit.

℞. Rad. gram.

Taraxaci ana. lib. jβ.

Minutissimè conscissa, & diu  
tusa, coque aquâ purâ bihorio:  
colaturæ prælo fortiter expressæ  
libr. iij. adde:

Oxymell. simpl. libr. β.

Sal. polychr. dr. vj.

Unciam sumat quovis biho-  
rio.

Siluit ad hæc febris. At verò tinni-  
tus aurium continuabat, tumor sinistri  
hypocondrii dolebat tussisque matutina  
vexabat. Iteravi decoctum, jussique bis  
die ventrem, maximè quâ durum, fri-  
caret ante fornacem, unguento com-  
posito ex ung. martiato & oleo laurin,  
ana unc. j.

Elapsis abindè quinque diebus, an-  
tiquas querelas renovavit, febre omninò  
liber. Indicationi relictæ morbificæ in  
corpore materiæ satisfactorius, repetivi  
eadem remedia: sed tormina ventris ac-  
cesserant molesta. Suspecta hæc sæpè



hîc *Citesius*, *Cahagneſius*, *Sennertus*,  
ex intermittentibus ſic natam viderunt  
colicam Pictonum. Conſilio *Baglivii*,  
diuturno florum chamomillæ infuſo  
hæc devici.

Continuatis ſedulò his omnibus, ma-  
teria febrilis à ſede, quam in hypochon-  
drio ſiniſtro occupaverat, & ex ventre,  
quem univerſum torminibus vexaverat,  
ſubduxit ſeſe, collumque undiquè de-  
turpavit tuberculis. Sponte hæc eva-  
nuere. Mox verò furunculi varias ob-  
ſident corporis plagas.

Sed aliud quid contigerat notabile.  
Tumor ſiniſtri hypochondrii remiſit qui-  
dem, collo ſenſim tumente; at ſimul  
larga admodum naris ſiniſtræ hæmor-  
rhagia acceſſit.

An deſcripta hæc ſæpiùs ab *Hippo-  
crate* criſis ſplenis inſarcti? Videtur;  
ſed multiplex hîc morbi univerſi criſis:  
& quidem ſplenis, hæmorrhagia ſini-  
ſtræ naris; totius autem materiæ mor-  
bificæ, tumoribus colli, & furunculis.

Triplicis generis tumorum, febre  
intermittente oriundorum, naturam di-  
ſtinguimus. Primum genus eorum, qui  
in ventre, nec rarò in hypochondrio  
lævo, naſcuntur: nullius illi discrimi-  
nis; imò ejus genii potiùs, ut eorundem



## 6 RATIONIS MEDENDI

exoptaret *Sydenham*. Sic enim agens  
de febr. interm. ann. 1661.....1664.

» Observatum non indignum est, *inquit*,  
» quod cum febres autumnales tene-  
» ram ætatem diù cruciarint, nulla spes  
» sit easdem abigendi, donec abdomi-  
» nis regio, circa lienem præcipuè, in-  
» durari atque tumefieri occœperit:  
» iisdem enim gradibus, quibus hoc  
» symptoma supervenerit, febris etiam  
» fugam meditatur. Neque ex meliore  
» aliquo prognostico morbum hunc  
» brevi abiturum dixeris; quàm si se-  
» dulâ animadversione suboriri hoc  
» symptoma perspexeris «. *Idem porro*  
*in crurum tumoribus obtinet, qui in adul-*  
*tis aliquando spectantur.*

Hoc sic se habere, ut *Sydenham* mo-  
nuit, quivis experiuntur practici;  
quodque de tenerâ ætate, quoad ven-  
tris tumorem scribit, & adulta habet  
ætas sed crurum œdema frequentius.  
Vix curamus hæc; utpotè aut sponte  
ad reditum virium, aut levi frictione,  
disparentia.

Alterum tumorum genus est, quo  
vir noster laborabat; quippè quod vi-  
scera vel thoracis, vel ventris, altis in-  
farctis obstructionibus: quibus debellan-  
dis multo sæpè labore, multoque est



PARS UNDECIMA. CAP. I. ¶

Opus tempore : præcipuè quandò icterus, quandò hydrops, quandò rhachitis, adjunxerit sese. Huc mirificè eam curam, quæ viro huic adhibita est, conferre, experienciâ plurimâ constat. Quod si oppilatione viscerum maximam partem solutâ, superstes ægrum debilitas tenet, atque Marte divites, Mars ipse, ejusque varia præparata, cortex cascariglias, peruvianus, tamariscus, & quæcumque alia ex ditissimâ Boerhavianâ classe secundi generis cardiacorum petuntur, hanc debilitatem emendant : potissimùm si aër, si regimen, si corporis motus, si frictiones, eundem collineant in scopum.

Tertium tumorum ejusmodi genus illud est, quod neglectis in principio febribus, nativè à febre obstructionibus, materiam irresolubilem, tam altè infixam in visceribus habet, ut in skirrhos hæc cancroscque abeant; ut icterus niger, isque irresolubilis, nascatur; ut hydrops sive simpliciter ascites, sive cysticus adjungat se : undè demùm ab intermittente febre via ad lentam sternitur, calamitosamque sæpè mortem.

Hoc in statu nihil vitam, tolerabiliorrem alias, diuturnioremque, reddere calamitosiorem, breviorremque con-



## § RATIONIS MEDENDI

suevit, quàm multus evacuantium usus. Vel enim nihil, vel parùm, vel multùm, operabuntur. Si multum, vires prorsùm demunt, quandòque in indomabilem causam non agunt; intereà dum humores minùs pravos, qui vitam sustentassent, attenuando corrumpant. Si vix, aut nihil, hæc remedia evacuent, dissolvunt humores tamen, causamque hydropis adaugent: *cap. 4.* luculento exemplo hoc confirmabitur.

§. II. Anni. 1765. Dec. 3. juvenem 18. ann. suscepimus intra nosocomium, cujus en historiam Improbo labore dimidii anni, victu autem misertimo, incidit demùm in febrim quotidianam, cujus id singulare, quod frigus 12. fermè horas duraret, tùmque demùm ardor subsequeretur & cephalalgia.

Hanc febrim octiduo passus, narrat se septies sursùm, quaterque deorsùm, ab assumpto emetico, multa ejecisse, nono morbi die venam sectam esse, nariumque subsecutam hæmorrhagiam; omnia autem citra vel minimum morbi levamen.

Die 15 morbi, librâ sesquialterâ vini, aquâ commisti, potâ, frigus febrile domari conatus, incidit mox in dysenteriam quatuor dierum: quâ rhabar-



baro cessante, æstum immoderatum frigoris loco experiebatur.

Suscepto in nosocomio, valida febris advertebatur, pulsus durus, anxium pectus, cephalalgia vehemens, calor 103. graduum in thermometro Fahrenheitiano. Undè sanguinis uncia x. de brachio dextro eductæ sunt. Moxque densam crustam sanguis utroque formavit in vasculo. Febris verè paracmastica, quarto exindè die, sine spectabili aut perturbatione criticâ, aut evacuatione, sic cessavit, ut diù post levis febricula superesset, dolorque in lævo hypocondrio multùm vexaret. Antiphlogisticæ methodo febris acuta cesserat.

Ab 8. Dec. ad 11. admodùm vibrans in pulsu motus observatur, cum hæmorrhagiâ unciarum duarum, naris quidem utriusque, sed sinistra potissimum, mane; vespere denuò solius naris sinistra, sesquiunciæ. Pulsus dicrotus, *Solano* narium hæmorrhagiæ index, observabatur nunquam; sed, ut monui, pulsus mirè vibrans, nunc utroque in carpo, nunc in alterutro magis, integro biduo ferè.

Critica igitur solutio, ut in priore ægro, ita & in hocce, animadversa est,



10 RATIONIS MEDENDI

est imperfecta: cessavit namque lateris sinistri dolor post hæmorrhagiam narium, potissimumque sinistra; at verò ex hoc tempore quærelæ perpetuæ exaudiuntur doloris in hypochondrio dextro, qui ad noctem ingravesceret, junctumque sibi molestum haberet ardorem. Dolor porrò iste, ardorque, ad finem mensis usque, regularem paroxysmum trium quatuorve horarum quâvis nocte observarunt.

Remedia hoc tempore mutari sæpiùs oportuit. Antacida quandòque danda erant, quod manifestum ventriculus testaretur acorem: nonnunquàm antihelminthica, quod vermium præsentiam cum pessimus juvenis victus, tum præsentia quædam vermium symptomata, innuerunt. Nulli tamen prodierunt.

Nec dolorem ardoremque varii generis epithemata, cataplasmata, unguenta, emplastra, vel hilum temperarunt. Bilis autem defectum, obstructionemve, quam alba atque argillacea excrementa indicabant, sapo venetus cum aloës tantillo, paucorum spatiorum emendavit.

Anno 1766. à 1 Jan. ad 13. usque, cœpit pomeridiano tempore frigere, horæ, bihorii, ultrâque, spatio, rarissimè



notabili aliquo subsequente calore. Sic ut ob paroxysmum mediam post noctem, huncque pomeridianum, febris esset quotidiana duplicata. Cortex necessario nunc indicatus, appetitum restituit quidem, diurnumque proxysmum fregit, ad verò nocturnum minime, qui constanter frigore bihorii, calore, ardore, dolore dextri hypochondrii, per aliud bihorium vexabat. Fracto quinimò diurno per corticem peruvianum insultu, lenta febricula, magnâ cum inquietudine, successit.

Interim quam demùm morbi sedem figeremus, ancipites fluctuabamur. Hepar affectum esse, cum indicare locum, tum alba argillacea que excrementa innuere poterant; at bilis restitutâ functione, nihil eo in loco mutatum fuit.

Ventriculus acore affectus videri poterat, vermibusque venter; sed idonea ad hæc remedia incassum data erant. Et ut symptomata nos de sede naturâque morbi certiores non fecerant, multò adhuc minùs viscerum situs: quem adeò varium, adeò sæpè alterum pro altero collocatum, olim deprehenderamus, ut convicti essemus, nos in vivo homine situm viscerum sæpiùs, non nisi conjecturando, assequi. Id saltem patebat, juve-



nem duram suam, ac miserabilem vitam, impunè non gessisse; gravemque atque pertinacem in eo latere quæ miram hanc febrim aleret, ingemina-retque, adesse originem.

Quapropter die 16 Jan. cœpi ipsi dare decoctum saturatissimum graminis, &c. ut ægro priori; epigastriumque bis die inungi, ac fricari curavi, unguento quod ex ung arthanitæ & martiato ana unc. j. gumm. ammon. aceto soluti dr. iij. compositum erat. Quod unicum remedium internum externumque, diu-rissimè autem continuatum, frigus nocturnum alternâ primùm nocte, tandem integrum superavit; paulatimque primò dolorem, postmodùm ardorem, fugavit. Sub hâc curâ rediit adhuc album atque argillaceum excrementum; continuato tamen remedio brevi evanidum; cum alvo tandem ternâ quaternâque singulodie, torminosâ sæpè, nunc li-quidiore, nunc compactiore, semper autem flavâ, pulchrè curatus est; sicut 15. Febr. ædes maternas repeteret, decocto-que ibidem per mensem adhuc usus, firmâ atque robustâ valetudine frueretur.

§. III. Rusticus 18. annorum, gracilis, temperamenti biliosi, in pueritiâ tussi convulsivâ, diuturnâ admodum, malè



habuerat exindè verò sanissimus, corpus jam ante ætatem obfirmatum, atque induratum, rustico labore, habebat. Medio Junio proximè elapso, febre tertianâ sic corripì cœperat, ut priores tres paroxysmos horâ nonâ matutinâ experiretur, reliquos quinque ad tres in aurorâ. Frigus tres, aut quatuor, imò semel sex horas, cum sensu interni externique algoris universique corporis concussione durabat; calor molestus, haud vehemens tamen, simile ferè temporis spatium emetiebatur. Unicum verò symptoma, toto tempore febris, valida scilicèt ac sicca tussis, frigoris æquè quàm caloris tempore vexabat ægrum: cæterum nulla unquàm cephalalgia, nullæ nausæ, vomitusque, non ventris tormina, nec ullum consuetum febrium intermittentium symptoma, affuerunt. Febris verò paroxysmo absoluto, cephalalgia oboritur, quam in noctem usque patitur, si lecto inhæreat; brevi verò amittit, si exsurgat. Absoluto paroxysmo, mox fames adest, & urget; totoque die intercalari sanissimus, summo cum appetitu, comedit, digerit, & naturaliter quotidie egerit.

Rogatus nullisne esset medicamentis usus, respondit pulverem à chirurgo datum in primo paroxysmo fuisse, qui ni-



#### 14 R A T I O N I S M E D E N D I

hil operaretur: die autem post primum paroxysmum libero electuarium sumfisse, quod bis vomitum, bis movisset alvum. Tandem, sexto paroxysmo ingruente à vetulâ spiritûs vini haustum, multo cum pipere, propinatum esse, cum eâ tantum mutatione, ut frigus pro more adesset, eique solito intensior calor succederet, septimus autem & octavus paroxysmus, more solito pergerent.

Sanus autem, si quis unquam, se nobis stitit alterâ ab octavo insultu die, petiturus auxilium. Ipso autem hoc die, horâ matutinâ nonâ, eâ scilicet horâ, quâ tres priores paroxysmi adorti erant, febris rediit; ab eodemque die, eâdem præterpropter horâ, quotidie adfuit: sic ut 9. julii, dum suo de pago rediisset, eundem in ipso nono quotidianæ febris insultu videremus. Insultus porrò hi nullo modo differebant ab iis tertianæ; tussis in utrisque molesta, cum absentia quorumvis aliorum febris symptomatum, cum cephalalgia post absolutam febrim, quæ pro more jacenti diù perstabat, surgenti verò exulabat brevi; cum apétitu mox à febre valido. Unica tamen hæc observata disparitas, quod licet in utrâque ferè æquale esset calo-



ris frigorisque initium, tempus tamen durationis universi paroxyismi febris quotidianæ dimidium tantum esset ejus, quod tertianæ expleverat paroxyismus. His benè consideratis, febrim in quotidianâ æquè diuturnam patiebatur, sed jam in duas divisam: in tertianâ octo horarum, horarum quatuor in quotidianâ.

Hic attentè omnia consideranda sunt. Quæret fortè quispiam an, à datis ad tertianam remediis, tertiana in quotidianam transierit? Sciat autem is quotidianæ paroxyismum jam adfuisse, antequàm misturam diluentem, atque attenuantem quam ad tertianam dederam, degustasset. Hanc ille posthac in quotidianâ, post paroxyismum, sine ullâ morbi mutatione assumpsit.

De industriâ noto quosvis hujus quotidianæ febris paroxyismos eorum simillimos fuisse, qui febrim tertianam constituerent; eo quod medici nimis universaliter videantur differentias, ut vocant essentielles, inter utriusque hujus intermittentis febris paroxyismos, agnoscere. Notavi pariter horas invasionis singuli paroxyismi utrâque in febre; quia etiam justo generalior est eorum af-



## 16 RATIONIS MEDENDI.

fertio, quâ ab ipsius primi paroxysmi invasionis horâ, dieique tempore, internosci doceant, cujusnam generis intermittentis futura hæc febris sit. At verò nos & in hoc juvene, & innumeris aliis, talem observavimus horum signorum inconstantiam, ut lex firma ex ejusmodi observatis condi nequeat: sed de hæc questione postea latius.

Juvenem tunc in nosocomio detinui, usque ad Augusti finem: sic ut quæ nunc enarrabuntur, sub nostro contigerint conspectu.

Quotidiana hæc febris novem consuetos paroxysmos absolvit; in decimo, vix levem percepit admonitionem æger.

Observavimus, momento ante paroxysmum nonum & levem illum decimum, juvenem cum pulsu lento, pleno, forti, pancreaticè valentem: frigoris invadentis momento eundem concuti, deque viscerum suorum conquerentem algore. Solus apex nasi, non lobi aurium, nec frons, nec genæ, nullaque pars externa universi corporis, frigebant attractu, quantumvis de eorundem frigore vehementer conquereretur. Ipsumque thermometrum Fahrenheitianum gradum 101, scilicèt 4. 5. 6. gradus caloris supra



naturalem, signabat. Pulsus interea æqualis, fortis, naturali ejus modicè tantùm celerior. Vix læsa respiratio.

In termino illo, qui finis frigoris est, principiumque caloris, calor thermometri idem fuit. Respiratio tunc celerior fortiorque.

In æstu febrili notabat thermometrum 104. gradus qui in multis acutis nec major esse, nec diù tantus perstare solet. Pulsus jam vix eo celerior, qui in frigore febrili, sed paulò fortior.

An frigus unicè à minore attritu? Undè ergò tanti frigoris perceptio, tremor, concussio, quandò calor, thermometro exploratus, aliquot gradibus calorem transcenderet naturalem?

Medicamenta autem data ipsi hæc fuere. In frigore febrili bibit singulâ horâ calidum vasculum decocti avenæ, cujus binis in libris manipulus florum sambuci infusus, ac mellis puri uncia duæ commistæ erant; idemque in subsequente æstu continuavit: paroxysmo autem absoluto, evacuavit quotidie libras duas aquæ avenæ, mistas cum unciis duabus rob sambuci, & dragmâ unâ nitri puri. Continuavit hoc ultimum remedium diù à cessante jam febre, eo quod levior ventris durities, quæ sub febre quoti-



18 RATIONIS MEDENDI  
dianâ percipi cœperat, hujus sub usu  
disparere deprehenderetur.

Liber itaque à febre rusticus, inte-  
grâ videbatur frui sanitate; id unicè  
alienum à sanitate habens, quod pro  
lætè rubicundo colore, qui, ipso, ejus-  
que fratre, testibus, vultum in sani-  
tate ornaverat, color nunc conspiceretur  
firmè ictericus, quamvis cæterùm  
nulla signa icteri adessent, jamque om-  
ninò mollesceret venter.

Cessante febre hâc, mox arena co-  
piofa, & in urinâ, & ad vasis latera,  
observari cœpta, multoties posthâc in  
urinâ comparuit, flava aliquando, po-  
tissimùm autem subrubra.

Contigit autem, quotidianâ febre  
penitùs cessante, ut juvenis perciperet  
dolorem in parte pulposâ pollicis pedis  
sinistri, nec nisi tertio die eandem in-  
dicaret nobis. Parvum tumorem tunc  
vidimus, suppurantem. Crisim fortè na-  
turam hùc versus molientem suspicati,  
cataplasmate emollivimus eum, biduo-  
que post aperuimus. Effluente vix semi-  
cochlearis quantitate puris, totum mox  
consolidatum fuit. Undè accidens qui-  
dem illud, criticum autem minime fuit:  
*ἔδει γὰρ ὀλίγον κρισιμόν Galenus* dixerat;  
& quæ sequuntur id confirmant.



Si tamen criticum naturæ molimen  
 fuisset, suspecta hæc crisis fuisset. Coa-  
 carum n<sup>o</sup>. 68. damnaverat Hippocrates  
 critica ad extremas manus pedesque co-  
 namina. Τὰ, ἐν χερσὶ, καὶ ποσὶν ἐρυθρήματα,  
 ὀλέθρια. Et *Epid.* 2. apud *Foësium* 1003.  
 » Quemadmodum Timenei sorori, ex  
 » valido morbo quid ad digitum absce-  
 » debat: ἔχ' ἰκανόν δ' ἐδέξασθαι τὴν νόσον;  
 » sed quia digitus non erat locus aptus  
 » ad excipiendam materiam morbificam,  
 » recidivam femina passa est, & periit.  
 » Et *Epid.* 4. pag. 1131. » Undeci-  
 » mo die, bono, critico, ad dextræ ma-  
 » nûs digitum majorem inflammatio,  
 » septimoque post abscessum die mors. »  
 Miserrimè morientem vidit *ill. preses*  
 hominem, cui pleuriticus dolor tertiam  
 morbi die in extremis pedibus resedisset.  
 Nunquid loca hæc nimis cum tendino-  
 sa, tum nervosa, quàm ut acrem mor-  
 bi ferant materiem? An defectu cellu-  
 lositatis sufficientis non possunt hæc par-  
 tes morbi copiosam locare, transmittere  
 que materiem? Quæcunque sit hujus  
 observati causa, observatio facta con-  
 firmataque sufficit nobis. Sin tamen  
 exempla prostent hominum, post simi-  
 les crises sanatorum, admittimus ea li-  
 benter; cum vel sub ejusmodi critico



molimine, natura viis aliis eliminaverit tunc id, ad quod eliminandum extremitates digitorum ineptæ fuissent; vel casus rarissimus existat, qualem *ill. præses cap. de pleurit.* describit. Sed rarissima exempla non destruunt naturæ Hippocratis leges, quæ, id, quod *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* contingit, continent.

Interim nos dolentem juvenis pedem ad maturationem, seu potius ad exitum materiæ disponentes, nemo condemnet. Nostri enim officii est, si v. g. ad coxam, ad oculum, aliave inidonea loca, morbi materies copiosa jam adest, suaque turgescentia immanes creat dolores, exitum ipsi parare quantocyùs, ne moram trahendo destruat, quas obsidet, partes.

Sed è diverticulo in viam. Consolidato brevi hoc ulcusculo, color mansit fusco flavus. Inquietus de illo, exploravi, quid solvens nostrum decoctum, quod priori & alteri ægro profuisse supra constitit huic efficeret, mediâ ejus unciâ singulis horis datâ.

Interim die nono ab ultimo paroxysmo elapso, inopinatò contigit, ut juvenis noster, mox à levî ac frugali prandio, quod ad undecimam antemeridianam in nosocomio datur, frigore per



horam, perque alteram horam calore, corripereetur; consuetâ cephalalgîâ subsequente.

In frigore febrili thermometron gradum caloris naturalis præterpropter notavit, gradum scilicet 95. Orto verò calore febrili 101. gradum, summoque in æstu gradum 105. Pulsus in frigore celer, vix fortis; in calore non celerior, sed fortior.

Finito toto intra bihorium paroxysmo, dolor capitis duas adfuit cum dimidiâ horas. Postquàm appetitus rediit, cum cæteris optimæ sanitatis signis.

Altero die ad meridiem brevior leviorque paroxysmus. Porrò utitur, ut olim, in frigore febrili infuso suo flos sambuci, & extra paroxysmum decocto solvente, nudiustertius præscripto.

Tertio die insultus gravior. In sesqui alterius horæ frigore thermometrum notavit gradum 101 in calore autem vix integræ horæ gradus 106.

Ad eandem circiter horam febris quotidie rediit, corpus in apyrexia sanum relinquens, usquè ad paroxysmum xviii. Eo autem absoluto, æger nocte vix dormivit, anxius fuit, saporemque veluti putridorum piscium conquestus



est. Undè ad octavam matutinam sumfit unc. iij. aquæ laxativæ viennensis, pariterque ad horam nonam. Horâ 11 indè alvus compacta copiosa, & horâ dimidiâ post laxa alvus, in frigore febrili adhuc ter, bisque post febrim. Frigus sub actione purgantis trium tantummodo horæ quadrantum, vix ullus calor.

Sequenti die vix observata febris: nulla febris die tertio, quarto, quinto, sexto. Recidiva igitur quotidianæ febris cessasse videbatur perturbatione purgantis.

Sed color ictericus interim perseverabat. Prosequebatur ob in accuratè decoctum in vigesimam secundam diem.

Septimo autem apyrexia die febris quotidiana tertio rediit, trihorio post prandium, atque ita ad eandem ferè horam quatuor sibi subsequentibus diebus: eâ tamen cum differentiâ, ut solum frigus, vix ullus calor, adesset; quæ quo demùm pacto cessaverit, mox patebit; præmissis aliquot observationibus.

In omnibus octodecim paroxysmis recidivæ primæ quotidianæ thermometrum semel, ut monui, gradum 95. notavit, cæterùm verò semper 99. aut 100. aut 101. Igitur ægro algorem in



ternum, corporisque molestam à frigore concussionem, amarè conquerente, calor ferè semper 4. 5. gradibus fuit naturali major. In summo calore thermometrum gradum 104. 105. 106. 107. 108. signabat; quales gradus vix unquam, nisi paucis admodum horis, febres acutæ, peracutæ, acutissimæque, notare consueverunt. Patet indè intermittentes febres magnam in solidis, fluidisque, inducere mutationem, lentos humores coquere quidem, ac vasa, certo modo inertia, stimulando animare, debitumque in motum sæpè excitare posse; verùm quoque humores aut nimis dissolvere, aut difflatis subtilioribus, inspissare; fibrisque, quæ, quo agant, non stimulo, sed restaurante cardiaco indigeant, summam flacciditatem, invincibilemque atoniam facile conciliare. Cùm id tot exempla confirmant limitato sane sensu vis intelligenda proverbium est: *De intermittente, ac præsertim de quartanâ, non sonat campana.* Undè & regula petenda est, intermittentem febrim aut relinquendi sibi, aut abigendi; ut mox patebit.

Sitis in paroxysmis his, frigoris tempore maximè, intensa sic, ut bihorii



spatio libras quatuor, quinque, sex, infusi sui evacuaret.

Notavi superiùs paroxysmos tres priores tertianæ febris hujus juvenis ad nonam matutinam, quinque posteriores ad tertiam in aurorâ invasisse. Quotidianam primam exactè servasse horam nonam matutinam, quæ non ultimorum, sed priorum tertianæ paroxysmorum erat hora invasionis. Quotidianæ verò recidivam priorem adortam juvenem ad meridiem esse, primò quidem mox ubi pransus esset, reliquis autem diebus sine prægresso prandio. Tandem constitit quotidianæ recidivam alteram bihorio trihoriove seriùs invasisse. Confirmant hæc, quæ supra monui, de incertitudine genium febris, naturamque determinandi, ex tempore primæ invasionis.

In hac demùm alterâ quotidianæ recidivâ, seu intermittente febre quartanâ, lassitudo perpetua animadvertebatur, virium notabile appetitûsque decrementum, nocturni sudores, insomnia, inquietudines tantæ, ut, ne tandem hæc febris cum corpori noxia foret, tum morbos inferret alios, justam nobis incusserit formidinem. Sistendam

ergo



ergo arbitrati, dedimus ægro dragmam corticis peruviani ad sextam vespertinam; alteram dragmam ad decimam; tertiam sequenti mane ad sextam, & ultimam ad horam primam pomeridianam. Febris nec eo die, nec sequentibus, ad assumptam quotidie mediam chinæ unciam, unquam rediit.

Stupenda autem erat, quam à primo die assumpti corticis observabamus, mutatio. Mox enim vires exsurgebant, redibat appetitus, animus erigebatur, bona alvus, bonæ urinæ, æque nonnunquam pulchrè hypostaticæ, comparabant; &, quod maximè notabile, pertinax subictericus color sensim disparebat, intraque decem dies planè aberat. Sic ineunte septembri perfectè sanus nosocomio exivit, corticem per unam, alteramve septimanam adhuc sumpturus. Domi suæ continuâ sanitate fruitur hucusque.

Numquid cortex chinæ, febrim virtute febrifugâ tollens, simul suâ restaurante facultate systema biliosum emendavit, ut remediis solventibus æger postmodum non habuerit opus? videntur ejusmodi existere casus: sed ne nos iidem justo audaciores reddant, cavea-



26 RATIONIS MEDENDI  
mus. Omnino enim credibile videtur  
decocto resolventissimo, quatuor propè  
septimanas usurpato, viscerum ac potis-  
simùm jecinoris, multùm reseratas ob-  
structiones fuisse, ut demùm superve-  
niens virtus chinæ roborans, opus reli-  
quum absolverit. Febris enim tertiana,  
quotidiana deindè bis recidiva, & cu-  
rim pertinaciter defœdans subictericus  
color, non merum, non simplicem, non  
causâ materiali carentem, febrilem mo-  
tum notabant, sed vitium quoddam je-  
corarii systematis, quod primò virtute  
solventis remedii multùm emendatum,  
demùm penitùs vi restaurante corticis  
devictum est.

§. IV. Plures profectò ejusmodi hi-  
storias elapsus proximè annus academi-  
cus suppeditavit; verùm cum earum re-  
latio fastidiosâ forsàn prolixitate displi-  
ceret, sermonem obrumpo, meque ad  
necessaria quædam corollaria converto;  
quæ suggestit varia methodus febres in-  
termittentes curandi, & ab aliis, ante-  
quam ægri ad nos venirent; & à me,  
postquam curæ meæ traditi essent; ad-  
hibita.

Methodos has varias, divisas in hæc,  
quæ fieri in paroxysmo oporteat, & in



illa quibus extra paroxysmum opus sit, optimus *Boerhaave* compendiosè recenset *cap. de febr. interm.*

In frigore febrili vult ut aperientibus, salinis, alkalicis, mineralibus, diluentibus, oleosis, blandis, calore, motu, fotu, frictione, utamur; hunc in finem dedimus ægris nostris infusionem calidè potandam florum sambucì in aquâ avenæ, cum melle & nitro; in calore autem aquosa, calida actu commendat, cum subacidis aperientibus nitrosisque permistis, vel & cichoraceis, similibusque blandis aperientibus, quiete. Tandem sudoris tempore prodest *ptisanâ vinosâ, jusculis carniûm, decoctis temperatis, sudori urinæque reddere materiem; sicque hæc non vi caloris, medella, stragulorum, exprimere, sed copia aucta promovere, quàm blandissimè & diù.* Quæ æger noster ultimus in frigore febrili sumserat, cum in brevioribus ejus paroxysmis quoque prodesse, caloris, ac sudoris tempore, continuavit eadem. Mutamus hæc in aliis prout ægri mutatione opus habere videntur.

Quæ autem extrâ febrilem insultum facienda sunt, sic enarrat: *primò quidem emeticum dandum: quin abundantî collyvii in primis viis... vomitorium sæpè*



*prodest tollendæ, dando ante paroxysmum eo spatio, quo ante hunc effectum præstet. Id faciendum cognoscitur ex victu, morbis, symptomatibusque prægressis, nausæâ, vomitu, ructu, tumore, halitu, sordibus lingue, gutturis, palati; anorexia, amaro ore, vertigine tenebricosâ: & absolutâ operatione dato opiato sedatus ante febrim tumultus sit.*

2°. Purgans; quod vir magnus iisdem cum indicationibus, tum cautelis, quàm emeticum, dandum censeat.

3°. Suadet utrumque hoc remedium minùs evacuandi, quàm stimulandi, scopo. *Ut & prodest idem, dum stimuli instar movet utrumque. Utrumque autem repudiat, deficientibus his binis indicationibus. Aliter nocet, inquit, dum debilitat, liquidissima elicit, digestiones hîc imprimis necessarias turbat sicque diuturnitatem morbi, vel & mortem producit. Dura, sed vera, in eos sententia, qui emetico, & purgante, vel alterutro, omnem intermittentem febrem aggrediuntur!*

4°. Sudorifera. *Frigus & febris sudorifero hîc tollitur sæpè, dum aliquot ante tempus cognitum futuri paroxysmi horis, liquido aperiente diluente, leviter narcotico, repletur corpus ægri: deindè unâ horâ ante malum excitatur sudor, &*



*continuatur, donec binæ ultra tempus ini-  
tū paroxysmi elapse sint hora.*

5°. Venæ sectionem; quam non nisi  
casu prodesse statuit.

6°. Tenuem, exactamque diætam,  
casu tamen unice proficuam.

7°. Corticem peruvianum: *Si autem  
febris autumnalis vehemens, corpus ex  
ægritudine debile, morbus jam aliquo tem-  
pore duravit; neque adsint signa internæ  
inflammationis, neque collecti alicubi pu-  
ris, neque obstructi admodum hujus illiusve  
visceris, cortice peruviano abigetur.*

8°. Epithemata, & epicarpia.

9°. Inunctiones spinæ dorsi.

10. Adstringentia epota.

Commentari hæc decem curationis  
capita animus neutiquam est, cum ex-  
stent consummatissimi illustrissimi præ-  
sidis in hæc commentarii: lubet autem,  
universam praxim percurrendo, exami-  
nare in quavis sive methodo, sive em-  
peiriâ, quid boni, quod imitere, insit;  
quid mali, quod evites; quid ineptum,  
quod abjicias; quid demùm periculo-  
sum, quod damnes. Recensionem hanc  
junioribus medicis, quibus hæc scribo,  
utilem fore puto.

Ordinem inverto, inchoaturus ab  
articulo sexto, qui de tenui exactâque



30 RATIONIS MEDENDI  
diætâ agit. In quâvis enim indicatione,  
ea, quam vitalem vocant, perpetuò  
obrinet principem locum.

Igitur primò, ad febrim intermitten-  
tem curandam, auctores quosdam diæt-  
tam exquisitam atque tenuem commen-  
dasse meminit *Boerhavius*. *Celso* refe-  
rente, *Heraclides*, tarentinus, hanc diæt-  
tam vehementer commendaverat; ipse-  
que *Celsus*, licet *Heraclidi* hâc in re  
non assentitur, videtur primis quatuor-  
decim diebus tentasse eandem.

*Hippocratem* hujus sententiæ non  
fuisse, prima aphorismorum sectio fidem  
facit: *Tulpius* quartanariis funestam  
fuisse exemplis evicit: *Boerhaavius* casu  
tantummodo profuisse narrat.

Illud interim verum ab alterâ parte  
est, pleniore diætâ homines non raro  
impetus febriles augere, ipsamque per-  
petuare febrim; nec faciliè curari eos,  
qui suos liberos à febre dies epulando,  
commensandoque, transigunt: regula  
ergò statuenda est, ne in alterutrum in-  
clinando quis peccet.

In omni seu acuto, seu chronico morbo,  
indicatio vitalis cæteris prævalet indica-  
tionibus. Si vires vel copiosiore nutrimen-  
to, quàm digerere subigereque queant,  
opprimantur; vel si debiti defectu nutri-



menti fatiscant; merito veremur, ne morbus naturæ prævaleat, succumbatque ægrotus. Quamobrem si benè appetat ille, si benè digerit, egeritque, victu utatur eo, qui ad has facultates conservandas requiritur. Viribus sic manebit aptus, qui crudam morbi materiem concoquat, expellatque concoctam. Sanus si lautè, si multum, comedere consueverat, plura utique illi erunt, quàm isti, qui tenuius, concedenda. Quibus, ter comedere, dum valebant, soliti, etiam his ob consuetudinem consulendum: plus hyeme, ob majorem voracitatem, quàm æstate: plus hominibus nationis voracioris, quàm illis, qui frugalioris sunt. *Et quibus semel, aut bis, & plura vel pauciora, & per partes; (offerri conducatur) videndum. Concedendum autem aliquid & consuetudini, & tempestati, & regioni, & ætati.* *Aph. sect. 1. n.º. 17.* Ipsaque tota hæc sectio pulcherrimas regulas continet, quas secuti practici, ordinatâ rectè diætâ, morbi curationem promovebunt.

Peccant itaque adversus has *Hippocratis* leges, morbosque pejores periculosioresque reddunt, qui nihil nisi tenuem diætam crepent, ne ægri morbum, ut aiunt, nutriant, *Hippocratis* præcepto, & exemplo, ægris nostris,



febre intermittente laborantibus, alimenta damus talia, tanta, totiesque, quàm & consuetudo, & facilis eorum tolerantia, concedunt. Sin verò pluribus assuetis jam præ vi morbi viscera iisdem ferendis non sint, nos, & præparatione tenuiore, & parciore quidem, sed frequentiore exhibitione, id reparare ac supplere conamur. Ægris, qualis noster juvenis erat, carnes teneriores, olera, levia farinacea, quibus à puero assueverunt, vini que modicum, quo vix carere nostrates queunt, concedimus, quamdiù viscera hæc commodè ferunt. Contrario autem modo in nosocomio fit, si homines paucioribus, tenuioribusque assueti sint, ne majore solito copiâ viscera onerentur. Ceterùm hâc elapsâ adhuc æstate medicinæ auditores viderunt languentem, acuto in morbo, coctionem, cautâ plenioris victûs concessione sic emendatam, ut brevi morbus ad crisin aptaretur; quâ instante, ad ejusdem aureas *Hippocratis* leges, nonnihil iterùm de hoc victu pleniore detrahebatur. Cæteroquin id quod *Tulpius*, ut suprâ memoravimus, idem quivis advertere practici, exquisitiore diætâ ægrorum vires sic minui, collabique, ut coctioni impares in morbum



cum pejorem incidant, tùm protractio-  
rem.

Secundò emetica laudantur. Eaque alii exhibent remoto admodùm à futuro paroxysmo tempore, ut diù compositus sit, qui corpore indè concitatus fuerat, motus: alii, ut hic monet celeberr. *Boerhaavius*, paucis ante paroxysmum horis; quo morbi materiam turbent sic, ut exquisitam intermittentem febrim pertinaciter non perpetuet.

*Hippocrati* sane ignotum consilium non fuit. Libro de *Affectiõibus* pag. apud *Foësum* 520. Si autem quartana prehenderit, inquit, ἢν μὲν ἀκάθαρτος, ἢ: si quidem impurus fuerit, primùm quidem caput purgandum, & tribus aut quatuor interjectis diebus φάρμακον δισδόναι ἀνω, κατ' αὐτὴν τὴν λήϊον, medicamentum sursum evacuans exhibendum est sub ipsam febris accessionem. *Celsus*, & apud *Celsum Asclepias*, idem suadent.

Salubre *Hippocratis* consilium imitati quivis sapientes practici sunt, ubi impurus æger erat. Est duplex hîc notanda impuritas: altera est ea, in quâ jam ante morbum viæ primæ sordibus scatent; altera quando, etiam citra has prægressas sordes, ea febris epidemica intermittens constitutio est, ut



ferè semper quid corruptæ bilis ad præcordia colligatur, qualem *Sydenham* sect. 1. cap. 3. descripsit. Ast verò terriò præter ejusmodi impuritates, *Boerhaave*, emeticum laudat, quatenùs stimulando moveat materiam febrilem, turbet eandem, confundatque; quo, fracto febris impetu, exquisita ipsa, diuturnaue, desinat esse.

Triplex hæc emeticorum indicatio medicos movit permultos, ut ferè nunquàm curam febris intermittens, nisi ab emetico, inchoarent, & bis, ter, pluriesque repeterent, suamque in curandis intermittens febribus ubique jactarent felicitatem. Et ut expertissimus *Thomson* in tomo 4. Act. edimb. fortunatam suam 20. annorum praxin laudat, quâ emeticum det eo frigoris momento, quo æger primas nauseas experitur; aut si non in frigore, saltem mox ad nausæ in calore principium; ità innumeri alii hanc methodum, tanquàm præstantissimam, commendant, laudant, observant.

Hæc tamen *Hippocratis* consuetudo non fuit, non fuit animus. Cur enim monuisset adeò circumspectè non esse dandum, nisi hominis id posceret impuritas, emeticum? Nec veretur *Syden-*



*hamus* inter febris protractæ, imò lethalis causas, vomitoria referre. Ipseque *Boerhaavius*, datum vomitorium præter tres datas indicationes, nocere ait, dum debilitat, liquidissima elicit, digestiones hîc imprimis necessarias turbat, sicque diuturnitatem morbi, vel & mortem producit. Hinc toties practico- rum libri; hinc toties nos, hujus methodi universalitatem lugemus.

Ubi verò id dandi vera indicatio est, ut detur brevi ante paroxysmum, vomitorum pluralitas est. Sub ipsam accessio- nem ab *Hippocrate* datum jam vidimus. *Amatus Lusitanus*, qui multas eo modo feliciter patratas à se curas jaëtat, hujus evacuationis, inquit, die paroxysmi, ratio assignatur talis, quia commotione agitata materia, facilius ad expulsio- nem redditur: quam *divinus senex* con- templatus in quartanâ, die paroxysmi, pharmacon dare mandat. Adstipulatur *Forestus* quoque, libr. 3 de Febribus; *Qui- dam*, ait, in initio hujus febris vomitum provocant, & ante proxysmum, vel initio paroxysmi: hujus remedii tanta vis est, modò rectè instituatur, ut multi hoc unico præsidio convaluerint. Dabat *Thom- son*, ut vidimus, illud quoque in fri- gore, aut calore, ad primas nauseas:



*Sydenham* vero, & *Boerhaave*, videntur in suæ quisque nationis dispositione id notasse, ut si dandum emeticum esset, illud daretur ad eò maturè ante futurum insultum, ut turbatio corpori indè nata sedari paregorico posset, priusquàm adesset accessio. Hinc nulla regula generalis est. Observatio regionis, tempestatis, temperiè, ætatis, sexûsque, ad eò ab *Hippocrate* commendata, regulam determinat.

Tertio purgantia laudantur. *Hippocrates* eâ conditione, ut supra, vomitorii, ita & hic purgantis, extitit laudator. Et primò quidem in eodem quartanario, cui ob impuritatem docuerat emeticum dandum esse; *rursùs*, inquit, *aliquo intervallo interjecto, aliud medicamentum deorsùm purgans, ἐν αὐτῇ τῇ γῆσει, in ipsâ accessione, dandum erit.*

Subjungit autem mox hæc de tertianâ febre, in quâ nullum emeticum suavit; *cùm febris tertiana detinuerit, si impurus tibi ager videatur, quarto die medicamentum purgans dandum est. Φάρμακον* hic simpliciter dixit, non addendo *ἄνω* vel *κάτω*; undè quidem emeticum æquè quàm purgans, quis fortè intelligeret; verùm cùm, notante *Galeno* pluribus in locis, *Hippocrates* nihil ad *φάρμακον*



vel ad φαρμακίειν addendo, purgans alvinum intelligat; cùmque *Foësius* disertè noter, hanc ejus significationem in confesso esse apud omnes, qui vel minimam habent ejus dictionis notitiam; certò videtur hïc de alvinâ purgatione *Coïis* locutus. Repetitque idem de tertianâ præceptum iisdem penè verbis, *libr. 2. de morbis.*

Intentione itaque *Hippocratis* in emetico, & purgante dandis, eâdem existente, condemnantur consequenter omnes, qui quâcunque intermittente in febre purgante opus esse contendunt. *Sydenham* & *Boerhaave* limitarunt cum *Hippocrate* usum purgantis; ultrâ citràque hos limites utrique condemnarunt idem. Equidem *Sydenham* in intermittente autumnali, cùm æger à datis quadrihorio ante paroxysmum remediis sudatoriis jam sudaret, dabat scrupulos duos pil. coch. maj. in misturâ spirituosâ; ut sudare pergeret; non autem propriè sic egit purgandi scopo, verùm ut binis illis contrariis sudandi & dejiciendi motibus, eodem tempore excitatis, paroxysmi processum confunderet, atque interturbaret: de quâ methodo postea pluribus. Undè demonstratum est *Sydenhamum*, non minùs quàm *Boer-*



*haavium*, purgantia in intermittente febre condemnasse, nisi quandò corpora omninò impura essent, quo unico in casu *Hippocratem* purgantia laudasse, citatis ejusdem textibus constitit.

Confirmatur hoc ex eo, quod, cùm docuisset impura corpora purganda esse, deinceps ostendat quid agendum sit medico, si pharmaco opus esse ipsi non appareat: hîc nulla sive emetici, sive purgantis, ultrà mentio fit.

Juvenis noster à primâ quotidianæ febris recidivâ visus est, purgante ante accessum dato, curatus. Sed & vera hîc aderat indicatio id dandi.

Hoc demùm, & non alio, sensu, intelligimus fortunatas per purgantia curas, quas tot laudibus cumulant auctores; v. g. *Monavius* in epist. 37. libr. 2. epist. *Cratonis*, aliorumque. Hoc unico sensu, suo agarico, ut febrifugo, laudes manent, dum veteres ad dragmam i. ii. illum brevi ante febrilem porrigerent accessum; ut apud *Dodonaum*, & in adjectis ad *Dodonaum* notis, videre est.

Quartò laudatur venæ sectio, & meritò quidem. Est enim aliquandò metus, ne in plethoricis à valido febrili motu, humor copiosior circumductus, noceat stagnando, obstruendo, inflammando,



repagulaque diffringendo sua. Sed ait *Boerhavius* venæ sectionem prodesse casu duntaxat, haud verò ex *Botalli*, ejusque sequacium sententiâ, veluti ad intermittentem febrim curandam per se opportunam. Quapropter illam *Sydenhamus* jure rejicit, veluti infidum auxilium, quod in febrim illicò confodit, ejus curam procrastinat, imò cum cæteris malè adplicatis lethum accelerat.

Quando igitur suam fortunatam praixin laudabat *D. Chomel*, ex dato, horâ ante paroxysmum, largo chamomillæ cum cremore tartari decocta, institutâque mox indè venæ sectione; eum plethoricos maximè in curâ habuisse credibile fit. An Gallis tamen, centenis sæpè venæ sectionibus assuetis, venæ sectio in febribus minùs nocuisset? Præcipuè cum *Riverius* (in cent. 4.) similem curam exemplis, & quidem uno in septimestri gravidâ, confirmet? Sed credibilius potius profuisse missionem sanguinis ob plethoram. *Forestus* v. g. qui venæ sectioni assuetus non erat, dum ipsi post tertium quartanæ paroxysmum vena ad incipiens animi deliquium solveretur, nec quartum paroxysmum indè haberet, videretur præ pleni-



tudine solutâ tantùm tulisse à venâ sectâ præsidium.

Aliter verò cum hæmorrhoidum evacuatione res se habet. Quamvis enim multùm absit, ut cum priscis medicinæ patribus unicam quartanæ febris ab atrâ bile duceremus originem, inficias tamen nemo ibit etiam ab atrâ bile gigni quartanam. Bilis autem atræ per hæmorrhoidas evacuatione, causa febrigena immediatè, atque directè evacuatur, ut sic demùm febris cesset. Notabile quod in rem *Forestus* notat (*lib. 3. obs. 41.*) Hominem quartanarium, quem cæcis hæmorrhoidibus laborare intellexerat, bono esse animo iussit: *nam hæmorrhoidibus apertis à quartanâ facillè liberari posset, cùm & præceptor meus Benedictus Faventinus, in tollendo quartana; præcedentibus universalibus remediis, pro indubitato experimento habebat, ut vene hæmorrhoidales secarentur. Secundo refert quoque Guarnerius se vidisse præceptorem suum Jacobum Foroliviensem della Turra, nobilem quendam curasse solis remediis, quæ hæmorrhoides provocabant.*

*Verùm hîc vena sectio commodè in ano fieri non potuit, cùm vena hæmorrhoida-*



*les potiùs exulceratæ essent, & ob hoc ingentes dolores inferebant. Quare accitochirurgo, qui ulcera curabat aptis remediis appositis: unde tandem hæmorrhoides apertæ sunt, & fluere cœperunt, multam virulentiam effundentes: ità ut à febre quartanâ hoc modo liberatus fuerit.*

Itaque hæmorrhoidum fluxus primò prodesse casu potest, in univërso vasorum systemate abundantibus humoribus, ut de venæ sectione dictum: secundò prodesse potest quartanæ ascendendo proximam causam, infarctum nempe systematis venæ portarum, ab attrâ bile. Minimeque inhærentes systemati veterum, qui quartanas semper, tertianas nunquàm, ab attrâ bile oriundas statuebant, fatemur tertianas æquè quàm quartanas, si fortè atra bilis in iis peccat, hæmorrhoidum fluxu, aut levari insigniter, aut penitùs curari posse.

Quintò recensentur sudorifera. Variâ intentione, modoque, dabantur. Ac primò quidem, quemadmodum ex Sydenhamo, ac Boerhaavio suprâ dictum est, ut corpus in apyrexia repletur, liquido aperiente; horâque deindè aut bihorio ante invasionem excitaretur sudor, promovereturque eo usque, donec



bihorium à tempore quo febris adesse debuisset, præterlapsum esset. Hùc porrò benè multa auxilia facere credidere veteres, ut mox patebit. Secundò, sine peculiari sudoris ante paroxysmum provocatione, calidis, aromaticisque medicamentis, & attenuantibus, corpora toto apyrexias tempore, replebant ut attenuatis sic probè humoribus, frigus febrile, tandemque febris ipsa, præca- veretur. Huic scopo legitur myrrha adeò profuisse, ut in febre intermit- tente curandâ de palmâ cum cortice pe- ruviano decertaret. Vulgus gentianâ, galangâ, absinthio, centauro minore, marrhubio, helenio, imperatorio, scor- dio, &c. totâ in apyrexia copiosè da- ris, frigus febrile corripit, sistit, ac febrem feliciter sæpè curat. *Galenus* sal- samenta commendabat, & sinapi, suum- que diatrion piperion. Nunquid *Muisio* laudata sat larga salis ammoniaci dosis, hùc non referenda?

Tandem tertio mos multorum erat hæc sudorifera non dandi, nisi unâ, duabus, tribus, quatuor horis antè expectatam febris invasionem, corpore simul ad su- dores calidiori aëre, integumentisque, disposito. Sic juvenis noster magnam piperis quantitatem cum spiritû vini



sumferat. Antiqua sane, celebratissima-  
 que methodus! *Celsus* ante accessionem  
 allium comedere jubet, aut piper cum  
 aquâ calidâ bibere. Hoc *Bartholinus*  
 (*Cent. 5. n<sup>o</sup>. 48.*) oris septentrionalibus  
 familiare præsidium notat, eoque Ze-  
 landiæ episcopum se curasse feliciter.  
 Cyathus vini hippocratici, quo *Varan-*  
*dæus* ante paroxysmum utebatur; hau-  
 stus spiritus vini cum aquâ rosarum; aut  
 vini haustus, cui agrimonia, cui mille-  
 folium aut verbena, aut absinthium,  
 &c. infusa, multorum auctorum: *Raji*  
 (in *Catalogo Plant. Angl.*) haustus  
 vini generosi, cui viscus, oxyacantho  
 innatum, infusam sit: pulvis magno  
*Heurnio* commendatissimus, qui ex nu-  
 cis mocharæ ustæ, nucleis persicorum,  
 & amygd. amararum, ana scrupulo,  
 compositus, cum vino ante paroxys-  
 mum exhibebatur: specificum *Hart-*  
*manni* (in suâ *pr. chimiatr.*) spiritus  
 salis ammoniaci in aquâ centaur. min.  
 vel cichorei, ante paroxysmum exhi-  
 biti, donec homo sudoribus diffluet:  
*Rulandi* & *Riverii* methodus, ope spiri-  
 tûs sulphuris, aut spiritûs vitrioli, su-  
 dores ante paroxysmum eliciendi: *Fon-*  
*seca* secretum, pulveris betonicæ drag-  
 mas duas in ovo dandi, quadrihorio



ante accessum : *Riverii* exhibitio falis absinthii , cum succo citrei , sudores cum regimine ante paroxysmum eliciens : *Ægyptiorum* mos dandi dragmam pulveris chamædryos , calido in jure , brevi ante paroxysmum : pulvis pannonicus , specificum *Michaëlis* , præparata bezoardica multorum auctorum , theriaca *Andromachi* , *Diascordium Fracastoris & Sylvii* , *philonium Mesue* , *requies Nicolai* , *orvietanum* ; quæ omnia cum vino , brevi ante paroxysmum , corpore ac sudorem disposito , exhibentur : hæc , & similia , auctorebus commendata , & laudibus sæpè in cælum elata , ad hanc sudatoriam curam referenda sunt.

Quo tandem clyisma *Ægyptiorum* referam , cujus in suâ med. methodicâ *Prosper Alpinus* meminit , compositum ex librâ decocti majoranæ cum unciis III. olei laurini , quo sanè , inquit , & in aliis , & in me ipso , olim quartanâ vexato , summâ cum utilitate usus sum , & nonnullos quartanarios tribus tantùm clysteribus sanatos vidimus. An clyisma hoc venis cum bibulis , tum paucis coli lacteis , absorptum , humorum motum auxerit , pepuleritque sudores ? Pertineret tunc ad hanc classem.

Quid demùm cogitandum de decocto



raparum, quo abbatem *Guarnerius* curaverat, & quod in epistolis laudat *Crato à Crasheim*? An, quia abjecto cortice, primæque decoctionis aquâ, rapæ cum novâ aquâ coactæ exprimerentur, illeque succus cum butyro infuso ac saccharo mistus, potui daretur, sumto simul quovis mane pulvere quinque nucleorum persicorum; an, inquam, ad sudorum referendum methodum erit?

Celeberrimus *Mead* (in *Mon. & Prac. Med.*) *Quemquam nec illud hîc observare alienum erit, inquit, me pluries, cortice ipso votis non respondente; pulvere ex floribus chamæmeli, myrrhâ, saleque absinthii, adjecto paulo aluminis, composito, febres intermittentes depulisse.* An attenuando, disponendoque ad sudores; ad hanc quoque methodum *Meadii* pulvis referendus?

Pulvis febrilis pharmacopœæ videntis hûc quoque referendus videtur.

Triplici modò vidimus homines à suis medicis ad sudorem dispositos fuisse: verùm quartum multi addebant, eumque efficacissimum. Frictione, balneo, motu, cursu, ante invasionem, imò ipsâ, si contingeret, in invasione, homines in profusos sudores solvebant,



cum ipsum vulgus, tum quoque medici. Hoc sedulò faciamus *Celsus* auctor est. Quin & frictionem, & motum, & cursum, consulere plures, unà cum calidorum assumptione. Ità *Platerus* (*tom. 2. cap. 2.*). Simile quid *Boerhaave* quoque suadet. Estque ars curandi frequentissimum, plebeiiorum rusticorum.

Cuncta igitur, quæ ad hanc quintam methodum retulimus, eo collineant, ut corpus disponatur ad sudores, & ut illi maximè eliciantur tunc, quandò febrile frigus instat, promoveanturque bihorio ultra consuetum invasionis tempus.

Profuisse pluribus hanc sudatoriam methodum ultrò fatemur; sed & aut non profuisse sæpè, aut multis nocuisse, cum scriptores medici notarunt, tum sæpè vidimus. Prudentiâ igitur, iudicioque in eâ adhibendâ opus. Si enim febris salutaris, si homini necessaria, ut sæpè fit, hâc autem arte abigatur; quid non timendum mali à relictis obstructionibus, ad quas solvendas salubrem hunc motum natura excitasset? Nonne juvenem sic demùm hydrope periisse, qui hâc arte curatus erat, *Forestus* memoriæ tradidit? In comperto præterea est homines hâc arte febres continuas, ardentis, anomalas, malignasque, sibi conscivisse.



Undè *Bartholinus* loco superiùs laudato addit consilium esse, quod & non paucis profuerit, & nocuerit multis.

Non ergo cortex peruvianus, quod febres intempestivè suffocet, solus accusandus est; violentia descriptæ mox methodi non minùs cortice intempestivè curat.

An arsenicum, quod frigus febrile, febrimque totam, præcaveat, hùc referam? Præstaret referre non debuisse. Quidquid laudis *Lemery*, *Wepferus*, *Meyerus*, ex relatu aliorum; quidquid laudis *Friccius*, medicus ulmensis, (*libro de virtute venenorum medicâ*;) & in Actis moguntinis *Joannes Christianus Jacobi* propria, ut ferunt, experientia, arsenico ut specifico febrifugo, tribuant, exemplisque confirmare satagant; testimonia deleterii, nullâque arte cicurandi, veneni, tot, tantaque Vienna, & haud ità pridem exercitus, dederunt, ut cum magnifico *Werlhofio* de arsenico agente *Obs. de febr. pag. 42.* dicam;  
 » Valeant maligna pharmaca, & plena  
 » alexæ, cùm & magis exploratas, & fe-  
 » curiores medelas, quarum præbia,  
 » quoad opus sit, augere, & continuare  
 » possis, benigna largiatur natura «.

Sexta methodus ea est, quæ per epi-



themata, eaque ad carpos utrosque potissimum, eorumve alterutrum, quandoque, sed rarius ad axillas poplitesque, admota, febrim tollere annititur.

Optimus *Boerhaave* in mat. med. duas formulas dedit, quarum prior magni *Boylei* erat, qui in libro de *util. phil. exp. exerc. 5. cap. 7.* refert eam se à febre quotidianam violentam, usitatis immorigeram praesidiis, liberatum fuisse. Est autem hoc:

℞. Uvar. corinth.

Summit. lupuli,

Salis marini, ana unc. ij.

Contusa in pulvem applica ad arterias. Addit *Boylaus*, licet aliquando successu caruerit, plures à quotidianam & tertianam id curavisse. Addidit & aliud hoc:

℞. Summitat. rutae viridis unc. ij.

Sem. sinapi dr. ij.

Contusa exhibe ad epicarpia.

Famosus hic ab omni aëvo ranunculus fuit, maxime pratensis dictus. Praeterquam enim quod ad anthraces bubonesque pestilenciales, ad omnes glandularum tumores, collique praesertim scrophulas, hanc plantam contusam prisci adhiberent, insigni quoque laude eam in curam intermittentium cumularunt. Pri-

mam



nam speciem ranunculi montani, quam ob id, *feberkraut* appellarunt, contusam adplicabant carpis; monentes sedulò tamen ne diutiùs adplicatam ægri sinerent, cùm rodendo ipsos nervos, tendinesque, affecisse, plures ingenti suo damno experti essent. Videatur *Dodoneus* cum additamentis *Lobellii*, *Clusii*, ac *Ravelingii*. *Sennertus*, *libr. 2. de febribus. cap. 20. sub finem*, hominis meminit, qui à diurnâ quartanâ, scapulæque dolore acuto, ejusmodi epicarpio, quod pustulas excitabat, curatus fuit. Pluriesque epicarpium istud alii auctores referunt ab agyrtis adplicatum; ut & simile quid refert *ill. præses in comment.*

*Rondeletio* summis laudibus extollatur epicarpium, quod parabatur ex foliis sambuci, salviæ, pedis columbini, (id est, geranii columbini, sive geranii alterius *Dioscoridis*) fol. rutæ, ana m. ß. flor. calthæ pauxillo, salis comm. m. j. cum vino tritis.

*Martini Rulandi* epicarpia conficiantur ex foliis rutæ, salviæ, bursæ pastoris, tritis cum aceto.

*Felix Platerus* sua parabat ex fol. thlaspi, plantaginis, bursæ pastoris cum aceto: vel etiam ex ungu. populeo, quocum commistæ telæ araneæ; cui



*Lotichius* adhuc grana quatuor opii addebat. Imò solum acetum, pane benè imbibitum, *Plater* laudabat.

*Heurnius* helleborum, (qualem non addidit) felix epicarpium dedisse meminit.

*Crato* ad *Camerarium* profuisse notat epithema spiritûs vini linteis excepti ad ventriculum: additque se haud carpis duntaxat, verùm articulis omnibus, urticæ radices cum aceto tufas admove-  
vere.

*Riverius* laudat cataplasma calidum, aromaticum, ventriculi admotum regioni.

*Borelli affinis* legitur feliciter intermittentes febres curasse foliis pentaphylli cum sale, stratum super stratum positis, initio paroxysmi ad carpum dextrum.

*Boyleus* loco laudato suprâ recenset fuliginem caminorum cum terebinthinâ.

Acta edimburgensia tomo 2. erigerum seu senecionem vulgarem, in pul-  
tem contusum, & cardiæ frigidè applicatum, referunt.

Apud *Riverium* laudatur epicarpium emplastri *stobelbergici*.

Curatos aliquos ab agyrtâ vidi epi-



carpio, linteo incluso, quod abiturus revelavit: erat sinapi paratum, ut in mensâ utimur. Ab alio vidi *Andromachi* theriacam admoveri. Vidi quoque febres epicarpiis curatas nonnullis rediisse.

Sed quid his immorer diutiùs! Finis scribendi non daretur, si memorare vellem amuleta collo, aliisque corporis appensa partibus: ut *Tralliani* lapide aëtitem; ejusdem scarabæum in linteolo fulvo collo appensum; *Foresto* commemoratos pilos, de genâ detractos hircorum; sanguinem de primis virginum catameniis; lacertam viridem appensam; vermiculos ex dipsaci capite apud *Dioscoridem*; araneam vivam nucis inclusam putamini, collo donec moriatur appensam, vivamve locustam; *Francisci Jöelis* cantharides; aut *Nicoli Florentini*, & *Tiengii* amstelodamensis annulum, qui in auriculari digito gestatus, adigeret quartanas, ranam vivam pugno inclusam donec moriatur, tumentemque manum reddat; ut silentio præteream adhuc plura, quæ superstitionem sapiant, ut schedulas *Luca*, & similia potiùs tacenda.

An revertà omnia hæc epicarpia, epithemata, amuleta, febrium inter-



mittentium absolvere, ut ferunt, curationem? *Byolai* utique, *Rondeletii*, aliorumque clarorum viro-  
rum spectabilior fides, auctoritasque est, quam ut illis diffidamus: videturque haud contemnenda ea esse irritatio, quam acres fervidæque res carpis, loco utpotè tendines complures, nervosque penè nudos gerenti, inferre queunt. Verùm si legamus, audiamusque, horum pleraque tunc admota, quandò aut longiore tempore remedia alia benè multa, quæ febrim quidem nondùm fugare, ad fugam nihilominùs disponere potuerunt, adhibita sunt; aut unà cum reliquis, methodicè institutis, conjunguntur: si secundò benè perpendamus monita hinc indè adjuncta de hisce non applicandis, nisi coctionis signa comparuerint, ceteraque artis præsidia fuerint admota: si tandem tertio horum scriptorum candidiores consulentes, non minùs experimenta fefellisse, quam juvisse, intelligamus; consequitur, id, ut 1º, statuamus incertum esse an reverà ejusmodi res febrim fugarent: & ut 2º, fateamur plura horum ob sui naturam apta videri, qui fugent eandem. Consequitur 3º, si secundum verum sit, ambiguum esse, utrùm hæc adplicata



externa febrim curent, materiem febrilem excitatis pustulis ex corpore revelendo, an verò motum febrilem turbando confundendoque duntaxat? quo posteriore in casu febrim intempestivè tollendo vehementer nocere illa posse, ex præcedentibus patuit.

Septima methodus comprehendit inunctiones & frictiones thecæ vertebrarum, brevi ante futurum febris insultum. *Guarnerius* laudator extiterat hujus praxeos; ejusque exemplum *Forestus* in recidivâ quartanæ septuagenarii sui avunculi secutus » spinam dorsii » inunxi, *inquit*, à nuchâ incipiendo, » usque ad clunes descendendo, oleo » anethino & chamæmelino simul mistis, & post inunctiones pannos lineos » calidè apponendo. Cùmque ter hanc » inunctionem in ipsâ accessione absolvissemus, miraculi instar non solum » rigor cessavit, verùm etiam febris in » septuagenario desit.

*Felix Platerus* iisdem oleis, quibus *Forestus*, spinam dorsii inungebat, sed simul interna remedia, frictioni soli non fisis, dabat.

*Cardanus* (*curat.* 24.) horâ frigoris spinam unguento inungebat quod ex gentianæ succo, oleo scorpionum, &



54 RATIONIS MEDENDI  
anserinâ compositum pinguedine erat.

*Riverius* valdè laudabat talia minùs tanquàm febrifuga, sed potiùs tanquàm rigorem, febris symptoma molestissimum, mitigantia, ægrisque ad diaphoresin disponendis apta.

*Prosper Alpinus* emplastrum, quod gallo medico in secretis erat, ut singulare quid laudat, cujus hæc erat formula.

℞. Farinæ tritici cribratæ,

Thuris masculini, ana unc. ij.

Fiat cum succo menthæ emplastrum, quod linea petia exceptum, calidum ante accessionem adhibeatur ad spinam dorsi, ad caudam usque, & quoad spontè decidat, teneatur.

Et profectò confirmat experientia nostra laudes istas. Jam triginta anni sunt, quod summo effectu in quartanâ rebeli has frictions institui. Tota methodi hujus intentio cum eâ methodi sudatoriæ suprâ expositæ, parte convenit, quæ frigus præcaveat, eliciat sudorem, sicque totam denique jugulet febrem. Tutò itaque in pertinaciore intermittente, quam fugare & licet, & expedit, adhibetur.

Quæsitum olim fuit an inunctio & frictio cum mercurio fuget quartanam?



Creditum hoc antiquis medicis fuit, quod viderent homines lue venereâ vel quartanâ laborantes, ab utrâque sanari 1°. decocto saturatissimo bardanæ, in vini & aquæ partibus æqualibus facto, cui sub finem addebant folia fennæ; quod decoctum sub stragulis calefactis sudores per horam unam alteramque fortissimos eliciebat, postque sudorem purgabat, & 15. aut 20. diebus continuis dabatur: postea verò detractis foliis alexandrinis, & absque regimine ad sudores, dabatur adhuc per triginta, quadraginta dies; quo modo à *Petro Pena* chirurgico, *Henricus III.* Galliarum rex à lue celticâ curatus legitur apud *Formium*. Hâc porrò methodo etiam curari quartanarios *Velschius* memoriâ prodidit.

2°. Ex *Varandæo*, *Borello*, *Riverio*, usu decocti saturati rad. chinæ & antimonii, patet curatam luem gallicam fuisse: sed & eodem decocto quartanas brevi curari memorat *Arcaus* (*libr. 8. de curandarum febrium ratione.*)

3°. Frictione mercuriali, ut in magnâ collectione de auctoribus syphiliticis à *Luisio* edita patet, lues venerea curabatur feliciter: sed & simul observaverat *Ballonius libr. 2. Epid. & luem,*



& quartanam, hâc inunctione unâ curatas esse. Undè eo pervenere nonnulli, notante *Velschio*, ut eodem remedio & quartanam, & luem Neapolitanam, indigere crederent: alii verò id saltem opinarentur, si venere laborantes homines, simul paterentur quartanam, eos & ab hâc, & ab illâ, institutâ frictione mercuriali, liberari.

Hanc porrò observationem generaliter veram non esse docuit ill. præses in comm. ad §. 9. » Quartana purgantibus, *inquit*, vomitoriis, sudoriferis, frustra tentata, imò per mediam salivationem, ut vidi, constanti typo pergens, tollitur cortice peruviano.

Videntur ergò hæc sic concilianda esse, ut quartana in homine venereo, non à lue venereâ, sed à causis communibus, epidemicis, oriunda, mercurio non curari credatur; quartana verò, quæ non ab his causis, sed ab ipsâ venere ortum habet, unâ cum lue venereâ, frictione mercuriali tollatur.

Octavo laudatur & adstringentium usus. Dedit in suâ mat. med. *Boerhaavius*, duplicem horum formulam, quarum prima est decoctum admodùm saturatum ex herbæ totius plantaginis lati-



foliæ unc. x & rad. tormentillæ rec. unc. ij. decoctis cum unc. xl. aquæ; cujus æger uncias tres singulo bihorio sumat: altera formula pulveris est, quem drachma una aluminis rupei, drachmæ duæ nucis myristicæ & grana duodecim boli armenicæ componunt, horâ ante paroxysmum sumendum.

Fuit etiam priscis hæc culta methodus. Expediit, (in *libr. 2. de morbis apud Foësum*, pag. 471, 472.) videre jussum *Hippocratis*, de aggrediundâ tertianâ post tertium insultum purgante, si id indicetur: sin verò non indicetur, acetabulo radicis pentaphylli in aquâ tritæ: febre verò nec sic abeunte, sudorum, ope internorum externorumque auxiliorum, provocatione.

*Dioscoridis & Aëtii* monumentis constat idem. Laudata hîc deprehendimus, præter tormentillam, aliaque, quæ formulæ Boerhaavianæ continent, agrimoniam, genicula verbenæ, pentaphyllum, semina heliotropii, &c.

Prodesse ejusmodi remedia egregiè queunt, quandò ægri à febre debilitati sunt, aut ex propriâ diathesi solida flaccidiora, aquosiores humores, nervosque simul valdè irritabiles, habent: roborantur quippè hinc solida fluida, con-



denfantur; hominesque hoc pacto vel febrim meliùs sustinent, vel irritabilitate imminutâ, novo vix afficiuntur insultu. An ideò cortex quercûs, tamarisci, capparidum, febrifuga audierunt? An cortex peruvianus, licèt occultâ suâ virtute febrim æquè in arido, ac in succulento, corpore, curet, tamen etiam in hâc octavâ methodorum classe vî suâ adstringente febrim abigat? Ruri profectò qui aptis præsiidiis carent, vires corticis quercûs, aliorumque adstringentium hunc in finem innocuè explorare posse videntur.

Ultima tandem methodus ea est, quæ cortice kinæ, seu peruviano, febrim intermittentem sistit. Longo sermone hîc opus non est, quum egregii viri *Morton*, *Sydenham*, *Richa*, *Torti*, collegium *Wratisslavense*, *Mead*, *Huxham*, *Pringle*, *Werlhoff*, *Boerhaave*, & cum maximè ill. *L. B. Van Swieten* in comm. ad cap. *de febre intermittente*, nec non in iis, quæ ad caput *de hæmoptoe*; & *de phthisi*, adnotata ab illo sunt, clarâ in luce rem collocarint. Quod si quis peculiariora quædam observata adjunxerit, ad quæ colligenda nosocomium nostrum occasionem suppeditavit, clarè intelliget:



1<sup>o</sup>. Corticem chinæ saluberrimum remedium esse omnium febrium, quas abigerè & licet, & oportet. Intermit- tentes igitur hîc principio recensemus, quæ morbos tales conjunctos non ha- bent, qui febre, ceu medicamine, in- digeant.

2<sup>o</sup>. Febres hemitritæas, que consue- tis medicamentis citò non obedientes, in malignas, perniciosasque, brevi abirent.

3<sup>o</sup>. Febres illas, quæ internas sup- purationes, ut putà pulmonis, hepatis, uteri, renum, aliorumque viscerum; quæque abscessus coxæ, aliorumque articularum, comitantur: eo quod hu- morum corruptioni, à resorpto acri- nascenti, medeatur cortex, pus pro ichore aut sanie bonum conficiat, vires refocillet ægrotantis, & morbum sic aut diuturniore tempore tolerabiliorem reddat, aut fortunatiore casu integrè curet.

4<sup>o</sup>. In febribus malignis, putridissi- mis, sive continuæ remittentes eadem sint, sive etiam continuæ. Ad confir- mationem horum vide collectas obser- vationes in *Rat. med. part. iij. pag. 271. ad 284. & ab 309. ad 316. part. iv. pag. 76. part. v. toto capite primo.*



part. vj pag. 90. 91. seq. part. vij. cap. 1. part. ix. cap. 4. part. x. pag. 336.

In his porrò febribus cunctis quantum kinæ dosin exhibere oporteat, medici judicio relinquere, quam definire, malim. Si febris intermittens tam vehemens, diuturna que sit, ut homo eidem sustinendæ vix ultrà videatur; si sit apoplexia, colica, pleuritis, nephritis, &c. periodica, de naturâ febrium intermittentium, remittentiumve, qualem *Morton*, *Sydenham*, *Huxham*, *Lautter* graphicè descripserunt; si malignarum febrium, si variolarum, morbillorum, & malignæ nonnunquam scarlatinæ, si deniquè febris continuæ malignis stipatæ symptomatis, discrimina urgeant; cortex kinæ liberaliore dosi, uncia scilicèt j. vel jß. tempore aut intermissionis, aut remissionis, exhibendus erit; quo futurus paroxysmus efficaciter præveniatur. Sin autem febris ejusmodi naturæ, sit ut eandem sensim frangi expediat, media uncia, minùsque, detur: quamquàm & minoriore tali dosi cortex febrim quandòque inopinato demat, ut in historiâ nostri juvenis p. 25. conspicuum fuit; qui, unicâ mediâ unciâ, febre exemptus omniterat, & eâdem dosi quotidie conti-



nuatâ exemptus mansit : licet in eandem indigestione voluntariâ meruisset relabi.

Primo tempore notæ in Europâ kinæ limitatior longè dosis erat, quod utrùm præstantiori tunc temporis transmissio cortici, an aliis causis tribuendum sit, non inquiram; copiosiore saltem dosi nunc indigemus. Dùm autem ritè capta sit exhibendi ejusdem indicatio, hæcque indicatio urgeat, consuetâ dosi haud sufficiente, ad duplam, triplam, quadruplam, & ultrâ, dosin adscendamus oportet, ni velimus gangrænâ & morte agrum brevi perire.

An quædam cum cortice mista, vim ejusdem itâ intenderent, ut longè minore dosi efficeret id, quod majore, sed solus datus, non præstaret? Necdùm mihi experimenta sufficientia sunt, ut affirmare hîc tutò quid ausim. Interim abesse nequeo, quin formulæ copiam lectoribus faciam, quam nuper mecum communicavit vir nobilissimus, & si quispiam mortalium unquam, fide dignissimus, quâ ipse in longævâ suâ vitâ sæpiùs sibi febrem primo stitit, alterovo, paroxysmo; & quâ ipse, ejusque familia, & plures eorum, qui sic curati erant, homines numerosos ab intermittente febre, penitùs, ac sta-



62 RATIONIS MEDENDI  
tim percuraverunt. Est autem hæc :

℞. Corr. peruv. unc. β.

Ocul. cancr. dr. iij.

Antimonii diaphoretici,

Concharum calcinatarum ana dr. ij.

Rad. gentianæ albæ dr. j.

M. F. inde pulv. n<sup>o</sup>. xij. quorum æger mox à cessante paroxysmo unum sumat, & sic unum quovis quadrihorio, donec omnes duodecim absumferit: undè nocte singulo quadrihorio expergefaciendus sit ad capiendum pulverem, eosque etiam debeat assumere qui supersint, licèt alter paroxysmus instaret, aut jam sæviret; donec duodecim absumferit. Repetitione nunquàm ferè opus est. Tantùm levissimo purgante opus est, lapsis quindecim à febre diebus.

Occasione monitus hujus de levissimo (nam gravius resuscitandæ feбри esse posset) purgante quintâ decimâ die dando, monere juniores medicos debeo *Sydenhami* aliorumque præstantium medicorum præceptum, dandi purgantis aliquo temporis spatio à quiescente febre elapso, salutare, imò ferè necessarium esse, ne fiant recidivæ, aut alia mala. An hoc, quod de materie febrili quid supersit? An verò potiùs ideò,



quod renatus à febre nimius sæpè appetitus quid indigesti collegerit, quod, ni blandè expelleretur, aut febre regeneraret; aut alia incommoda crearet? *Sydenham* mensẽm exspectat, antequàm hanc indispensabilis necessitatis purgationem det, ne maturiùs dando febrim resuscitaret sopitam. In hâc formulâ quindecim dies determinantur duntaxat. Ill. præses duas modo exspectat, ternasve septimanas. Tutò hunc sequimur, modò dies quartus-decimus, recidivarum adedò ferax, præterierit. Consultumque est idem pluriès posthàc repetere.

Terminabo hoc caput necessario hoc corollario. Ex nonnullis suprâ recensitis, & aliis sæpenumerò observatis, medicinæ tirones mecum animadverterunt à primo febris intermittentis paroxysmo certam diagnosin peti non posse. Ad trutinam enim signa omnia revocantes, à quibus *Galenus*, lib. 2. de crisi. cap. 4. sic interstingui febres intermittentes censuit, ut qui ipsâ primâ invasionis die ejus determinare speciem nesciat, is nomen medici non mereatur; ità de exceptione creberrimâ convicti fuimus, ut certam indè regulam cudere non potuerimus. Quare alienus



quidem à sententiâ *Campegi*, in *campis Galeni historialibus*, hoc à *Galeno* fuisse arroganter dictum, scribentis; nihilominus ejus sententiæ sum, quod intermittentes febres, nostro & tempore, & regione, iis, quæ à *Galeno* referuntur signis, persæpè interstingui sese non sinant. Contingere equidem potest, ut certo quodam tempore quævis quartanæ iisdem fermè symptomatibus, eâdem ferè diei horâ, paroxysmum ordiantur: fieri potest ut omnes tertianæ in eâdem anni constitutione, diversis quidem à quartanâ, simillimis verò inter se se phænomenis inchoent, omnesque eâdem præterpropter horâ, v. g. vespertinâ: quotidianæ omnes suo pariter modo. Verumtamen hæc febres ipsæ observatæ aliis annis, seu epidemicè, seu sporadicè obtineant, sic in diversis variant, ut nullam certam determinandi suum, ex primo paroxysmo, genium, relinquunt legem.

Tandem quod verbo suprâ jam monui, ex omnibus hisce observationibus perspicuum fit, intermittentes febres haud ita expertes periculi esse, quàm vulgo quidem fertur. Plures medicum cum *Harvæo* notarunt hominem, quem febris, intermittens perimat, frigoris



tempore mori. Dum anno 1558. paucae modo quartanae, eaque facile sanabiles, Delphis observarentur, invenit *Forestus* Hagae Batavorum, scilicet ad unius modo horulae a Delphis distantiam, a quartana legitima, epidemicam, multos mori. Et omnes illae febres intermittentes, quas vidimus demum in viscerum indurationes, in extenuationem, in icterum, in hydropem, mortemque demum, commigrantes; tandem & istae, quarum pag. 93. meminimus, quid aliud clamitant?

## CAPUT II.

### DE MORBIS ACUTIS.

§. I. *Pleuritis*, in qua dolor ab inferioribus ad superiora thoracis transmigrat, nedum morbi cum levamine, sed aggravamine potius. Pathologica discussio de bonitate, aut pravitate hujus transmigrationis. Phenomena sanguinis, aliena a communi observatione, incompletam esse sanguinis historiam docent. Sed & ipsa haec pleuritis tota mirabilis; quod nec resoluta, nec intra



consuetos dies criticè soluta, tamen citrà gangrenam, citrà suppurationem, skirrhumve, spatio duorum mensium, demùm sic soluta criticè fuerit, quemadmodum alias intrà duas septimanas. Remedia adhibita. Laus olei lini. §. II. Peripneumonia historia. Repetitio moniti de incertitudine phænomenon sanguinis in acutis; siquidem & dissolutus ille, & compactus, eodem tempore è venâ fluxerit. Pulsus peripneumonicorum durus. Cur peripneumoniæ factum die septimo iudicium dubium esset? Examen practicum sudoris. Sanitas restituta visa per integram septimanam, deindè recidiva lethalis. Mira denuò phænomena sanguinis. Varia de calore hominis viventis, & recens mortui. Singularis lucta mortis. Anatome Epicrisis morbi. Quid propriè malignitas in morbis acutis? An contra Boerhaavium semper verum, quod lata pulmonum cum omnibus, sive plerisque vicinis, concretio innocuè feratur?

§. I. ACUTORUM morborum complures nos elapso anno exercuerunt, quorum plurimi exactè satis leges coctionis, criseos, criticæque evacuatio-



nis, secuti, hippocraticarum observationum, præceptorumque, & stabilitatem, & æternitatem, abundè nobis confirmarunt; nonnulli verò aut nonnihil, aut notabiliter, à consuetis illis legibus deviantes, deviam quoque naturam, ab *Hippocrate*, lib. *Epid.* 1. pag. 941. 945. *Epid.* 3. pag. 1085. *Epid.* 7. pag. 1229. quo ultimo in loco *fullonis* in *Syrio*, & *Nicoxeni* in *Olyntho* historias refert, descriptam, vivis depinxere coloribus; unus tandem, alterque, quid naturam superante morbo, contingere debere *Hippocrates* docuerat, clarè demonstrarunt.

De classe priorum non est quod verba faciam; cùm certam, & tutam, & felicem medicinam, hippocraticis deberi præceptis, quivis hippocraticè edocti, norint; utilitatis plus habebitur naturæ deviantis prosequendo errores; ejusdemque, ubi insecuta mors fuerit, succumbentis ruinam speculando, addendoque accuratam eorum historiam, quæ in cadavere detecta fuerint.

Juvencula viginti annorum, 5. Aprilis 1766. post insolitam octo dierum lassitudinem, postque debitum catameniorum absolutum fluxum, sævâ pleuritide sinistri lateris correpta, alterâ



necdùm finitâ die in nosocomio suscepta est. A fine diei secundi, usque ad quinti ferè finem, quinquies secta ipsi vena est. Crustam pleuriticam gravem omnis sanguis habuit.

Ante quartam venæ sectionem dolor ferè omnis à latere inferiore ad sinistram sterni latus, humerumque, transmigraverat. Clarissimi *Trilleri* observatione, bona metastasis est; sexque suorum eâdem evasisse notat: ill. præses scribit suorum periisse neminem, quibus illa contigisset: *Hippocrates*, libr. de *Victu. Acut.* ut malam consideravit eandem. In nostrâ ægrâ tam prava erat, ut tussis omnis, ac ferè omnis respiratio, cohiberetur. Et bonam, & malam hanc transmigrationem doloris, pluriès in praxi observavi.

Quæ causa hujus differentiæ? Ex laudatis mox magnis viris *Trillero* & ill. *B. van Swieten*, bona fuit transmigratio hæc doloris observata sextâ die; non tollens quidem morbum, sed bonam crisin prænuntians: ægra nostra medio *quinto* die supernos hos est experta dolores. In cl. *Trilleri*, & ill. præsidis ægris transmigrationem hanc morbi comitatum levamen videtur, cùm post eandem venam ultrâ non secue-



runt : ægra nostra ad doloris assensum suffocabatur ferè. Hinc debui mox largam evacuationem sanguinis facere, ex Hippocratis laudati mox textus præcepto : *Neque copiosum sanguinem detrhere cunctandum est*, inquit. Ratio ergò patet diversitatis observationum.

Dolor porrò ægræ nostræ sexto die à superiore parte thoracis denuò ad ejsdem mediam inferioremque migravit plagam morbi, cum augmento : quare & quinta sanguinis missio institueretur oportuit.

Sanguinem nunquàm huic juvenulæ miserant ; hinc à primâ & alterâ ejus missione animo linquebatur. Sed & hinc sanguis nonnisi guttatim juxtâ brachium fluxit. Nihilominùs crustam pleuriticam brevi formidavit  $\frac{2}{3}$   $\frac{1}{2}$   $\frac{3}{5}$  crassitie totius insulæ habentem.

In tertiâ venæ sectione sanguinis continuato jactu exsiliit, donec effluxissent uncia septem ; guttatim deindè uncia septem aliæ extillarunt, Sanguis tamen hic æquè densam firmamque crustam, quàm ille, formavit. Animo non deficit.

In quartæ venæ sectionis ultimum vasculum jactu veloci sanguis fluxit, in alterum, & primum, guttatim : Atta-



70 RATIONIS MEDENDI  
men vas primum omnium densissimam  
crustam gessit, ferè talem & alterum,  
longè tenuiorem tertium.

In venæ sectione quintâ omnis san-  
guis aut guttatim, aut brevi quandò-  
que lentoque jactu affluxit, ut perpetuò  
brachium lamberet; in vas ultimum  
omnium lentissimè. Intra horam omnis  
sanguis suam jam formaverat integram  
crustam: eamque omnium densissimam  
compactissimamque, medietatem totius  
massæ habentem, ultimo in vase, in  
quod omnium tardissimè erat exceptus.

Observationes *Sydenhami* & *Boer-  
haavi*, de crustâ densiore ex velociore  
jactu cruoris, deque tenuiore extillante  
eodem, sunt verissimæ, aliisque etiam  
practicis confirmatæ: verùm ut in fe-  
minâ hâc, ità in perplurimis aliis, ob-  
servationes contrariæ adeò numerosæ  
sunt, ut neque ex prioribus, neque ex  
posterioribus, cudi ulla regula possit.  
Dudùm simile quid observaverat. *Tril-  
lerus*.

In vase medio sectionis quintæ cras-  
samentum sanguinis, seu insula rubra,  
vix scissile; in vase tertio facilè solu-  
bile.

Obscurant hæc omnia sanguinis obs-  
curam historiam; quam inceptam olim,



fed abruptam, dato otio retexam.

Calor usque ad quadragesimam morbi diem mane, quàm sero, minor: mane quippè fuit 98. 100. 101. graduum; vespere 102. 103. 104. 105. exindè autem mane ac vespere æqualis 98. 99. 100. 101. graduum.

Sputa usque ad quadragesimum quartum morbi diem merè aquosa, & spumosa; exceptis diebus octavâ & nonâ, quandò leviter suppurulenti quid habere; exceptis quoque diebus decimâ octavâ & decimâ nonâ, in quibus semicocta nonnulla apparuere. Die quadragesimâ quartâ cœpit quotidie plus cocti quid in multis sputis videri; ad quinquagesimam primam semipurulenta jam erant; ex illâ die sæpè minùs, aliquoties probè, cocta, die 58. 59. 60. 61. copiosa, coctaque: exindè sensim tussis & sputa minuebantur, & cum restitutâ sanitate optimâ, die 71. & seq. nihil tussis ferè, excretionisve, ultrà observabatur.

Alvum coctam die morbi octavâ habuit, subinde talem adhuc postea; passim verò tenuem, crudam: ad finem verò morbi, cum sputis coctis, & coctior alvus fuit.

Sudorem nec levantem, nec judican-



72 RATIONIS MEDENDI  
tem, habuit die uno critico, nempe  
quinto; duobus diebus minimè criticis,  
scilicèt 10. & 26.

Quoad urinas, unam bonam hypo-  
staticam habuit die 10. unicam & 14.  
16. 17. 18. & 19. quatuor; unam 20.  
& 21. duas 22. tres 23. quatuor 24.  
Et excepto die 34. in quo omnes sum-  
mæ cruditatis erant; excepta quoque  
una alterave urina per sequentes dies;  
omnes urinæ pulchras subsidentias ex-  
hibuerunt: sabulum rubrum nonnun-  
quàm habuerunt.

Igitur nulla critica evacuatio sputo-  
rum, quæ morbum solveret; nulla  
quoque evacuatio critica per alias vias  
emunctorias: siquidem quomodocun-  
que coctæ adparerent aliæ evacuatio-  
nes, tussis perpetua ac molesta, pulsus  
semper naturali major observata celeri-  
tas, calorisque justo altior notatus gra-  
dus, morbi non evacuatam esse mate-  
riem abundè testabantur.

Interim pluriès quærebatur diagnosi  
& prognosis; quæsitæ sane sæpiùs, in-  
venta tamen non est.

Consulebamus gravissimum longum-  
que *Hippocratis* textum 402. *Coaca-  
rum*: addebamus *Boerhaavii* de pleuri-  
tide caput; in quo, quidquid in praxi

totâ



totâ notum est; concinnitate, & perspicuitate admirandâ, collectum reperitur: ast verò nihil ex iis ad casum nostrum determinabile erat. Pleuritide nec resolutâ, nec criticè solutâ, aut gangræna, aut skirrhus, aut prava metastasis, aut suppuratio timenda phthisisque, est. Sed horum morborum omnium phænomena ad nostram ægotam adplicantes, applicationemque hanc crebrò, seriòque repetentes; non reperiebamus vel unicum horum morborum, quo eandem laborantem diceremus. Febris enim propriè dicta non adfuit; non ejus post partum, motumve exacerbatio; non genæ rubentes; nec sudor, nocturnus maximè; nulla major emaciatio, aut hectica dispositio; nulla difficultas; cubandi in latus utrumque, dorsumque; hinc nulla timendarum à non solutâ pleuritide ægritudinum inveniri in eâ poterat. Dolor, febris, inquietudo, quæ in his morbis augentur, brevi rupturo abscessu; hinc ad quadragessimum diem non observabantur; ubi cocti quid prodire cœpit.

Igitur naturam hinc multùm à consueto suo tramite deviare, in confesso erat; quod enim juxtâ ordinarias ejusdem leges expectari oportebat, non est



secutum. Est certè longè major aberratio nostro in casu, quàm in eo Anaxionis; qui à pleuritide, sine alio infecuto morbo, die tricesimo quarto judicabatur, *Epid. sect. 3. agr. 8.* Femina enim nostra, citrà ullum nati ex pleuritide alius morbi signum, cœpit ab ipsâ pleuritide judicari die quinquagesimo primo, & perfectiùs circà sexagesimum diem, ità ut perfectè sana die septuagesimo primo domum rediret.

Si quis forsàn rogaverit quo genere remediorum ùsi fuerimus, ut morbus adeò pertinax, & diuturnus, sine alio morbo perfectè judicatus sit? Ea ordine dabo. Missus sanguis quinquies fuit, ut enarravi. Optimi *Trilleri* exemplo, præter venæ sectionem ex brachio lateris affecti, eam quoque pedis tentassem: cùm verò nostra ægra linqueretur animo prioribus ex brachio venæ sectionibus; crebriùsque homines animo linq̄i soleant pede, quàm brachio, venam secti; eam brachii perpetuò rudi. Loco dolenti primùm fomenta, ac cataplasmata, admota sunt; his minis opitulantis emplastrum, quod ex  $\frac{3}{4}$  meliloti, &  $\frac{1}{3}$  vesicantis compositum, applicabatur; morboque pertinaciter furente, vesicans utrique impositum



cruri fuit. Mirum quippè tibias interpectusque consensum in morbis miratus *Hippocrates* fuerat ; confirmaverat *Baglivius* , & celeberrimus *Trillerus* vesicantia , pleuriticorum admota cruribus , deprehenderat perquàm utilia. Enemata multa pro re natâ immissa sunt , laxantia , emollientia , paregorica. Decocta & infusa herbarum , nunc emollientium , nunc attenuantium , expectorantiumque cum melle , cum oxymelle aut simplici , aut scillitico , stibioque diaphoretico : numerosæ misturæ ex aquis pedoralibus , cum eodem stibio ; kermes mineralis ingens quantitas : mucilagibus paregorica mista ad noctem ; aut & bono effectum pilula gr. iijß massæ pil. de styrace , una , altera , tertiaque ; oleosa multa tum ore , anoque corpori ingesta , exteriùsque corpori applicata , ac maximè oleum lini ; quod teste *Tournefortio* , *Lettres du Levant* N°. 19. » Ar-  
 » menii domi perpetuò servant , ad-  
 » hibentque , ac propterea pleuritidem ,  
 » cui inconstans clima impensè favet ,  
 » & quâ alii impetuntur , ratam experiuntur « : jamque scripserat *Gesnerus* oleum lini loco olei amygdalini eporum , egregium remedium in pleuritide esse. A die morbi tricesimo quarto ad



septuagesimum primum usque, usa est alternatim misturâ cum oxymelle scilicet scitico stibioque diaphoretico non abluto, & infuso pectorali; paregorico penè omni nocte, quum alias tussis omnem fugaret ab oculis somnum. Plerumque gr. iijß pil. de styrace sufficiebat.

Cura autem ventriculi peculiaris habenda erat, qui multis ab annis miserrimo victu depravatus, à principio morbi, etiam jam antequàm in nosocomium inferretur, sæpiùs de die in vomitum prorumperet. Paregorica juvabant, & post primum morbi impetum repetita sæpè purgatio; quæ sic adornabatur: ℞. Rhei dr. ij. Vesperti affunde aquam fervidam, sequenti mane momento coque; colaturæ unc. iv. adde syrupi melissæ unc. j. aq. cinnamomi unc. ß cujus mediam partem illicò, & si non operaretur, trihorio post alteram, sumeret.

§. II. Faber lignarius, bavarus, 45. annos natus, qui multo itinere pedestri; multis aëris injuriis, sub dño in itineribus dormiendo, toleratis; victuque prætereà duro, firmam corporis compagem, duratamque reddiderat; citràque morbos notabiliores ad hanc ætatem pervenerat: id modo in ana-



mnesei retulit, quod à viginti annis, quavis hyeme, longo laborare catarrho folleret, ab eoque bis ter sic afficeretur, ut duobus tribusve diebus cogereetur lecto inhærere; quodque, surdaster à decennio esset.

Cùm proximè elapsâ die primâ Aprilis ex suburbio in urbem cucurrisset anhelus, tenuissimæ supellectilis subhastationem deprecaturus, lassitudinem talem in reditu patiebatur, ut in mediâ viâ paulisper interquiesceret, ac confidere, cogereetur; vespere tussim solito frequentiore, & cephalalgiam experiretur; noctemque transigeret irrequie-tam.

Die 2. Aprilis, cunctis subhastatis, nudus cum uxore & infante cadibus expellitur, mendicare coactus: ipsoque hoc die gravi cephalalgia, frigore, æstuque corripitur: die 3. Aprilis pariter. Aprilis 4. die remedio quodam sublevatus, gravi demùm febre prenditur sub noctem. Paulò mitiùs quinto die; sexto autem graviùs.

Adijt tunc nosocomium hispanicum; undè gestatorio ad nos delatus est, peripneumoniâ laborans. Quintus morbi dies decurrebat.

Consuetâ methodo inflammatoria



emendatio observata tanta est; ut sexto die humorum coctio, septimoque critica evacuatio, & sudore, & urinis omnibus hypostaticis, iudicium videretur attulisse; ita tamen, ut, ablata, febre, tussis quaedam sicca perseveraret. Sanitatem caeterum integram septem dierum spatio videbatur adeptus.

Notavimus in hoc morbo primo sanguinem de vena dextri brachii die quinto missum, solutum omnino fuisse, cum crusta subviridescens coloris, flavâ, tremulâ, non coriaceâ.

Cogitare hic quis posset peripneumoniam eo usque jam pervenisse, ubi toties eam *Baglivius* miratus erat, cum sanguine scilicet soluto, aquoso: verum eum peripneumoniam statum negabat pulsus fortis ac durus, negabat morbi ipsius conditio, ut mox patebit.

Sanguis octo elapsis horis ex laevo brachio detractus, mox à principio habuit & crustam duriolem, & firmitus crassamentum, sic ut examinando non, quemadmodum prior, diffunderet.

Incautis ex conspecto priore sanguine contra indicare morbus & sanguis videri poterant; hoc incrassantia, attenuentia illo, naturaliter indicante. Nos



verò multiplici experimento edocti, ut adhuc nuperrimè in telatâ pag. 70 pleuriticæ historiâ, solam morbi indicationem explevimus.

Confirmavitque secundò missus cruor inspissantium indicationem, si eam esse-  
mus, sequuti, erroneam futuram fuisse.

Monere autem hâc occasione debeo, sanguinem primis à missione horis certum de se iudicium perpetuò haud præbere: videri quippè principio dissolurum omninò, postmodum verò naturaliter, imò præternaturaliter, incrassari: undè si brevior tempore ante lectionem sanguis ægrorum fuerit detractus, exhibeo quidem illum auditoribus, & per pellucida vasa cum ipsis contem-  
plor; nonnunquam vasculum unum ver-  
tendo, dividendoque examino; reliquâ verò vascula in sequentem seruo de-  
monstrationem.

Notavimus secundò in hoc morbo, in quinto peripneumoniz die pulsum magnum, fortem, eundemque durum; die sexto debilem, inaequalem omni-  
modo; die autem septimo ferè natura-  
lem. Undè confirmatur id, quod *part.*  
*9. cap. 2. §. 9.* tot argumentis urfi;  
scilicèt pulsum debilem in peripneumo-  
niz definitione inveniri non oportere.



Advertimus tertio coctionem, quæ quocunque morbi die fiat, semper bona est, nostro in ægro die sexto manifestam in humoribus, functionibusque plerisque; pulsus enim debilis & inæqualis, eodem die magis procedente, emendabatur; nullam verò sputorum coctionem vidimus.

Advertimus quarto sudoribus universi corporis in die septimo, verè critico, morbum judicatum videri potuisse, maximè cum eodem die, binisque sequentibus, urinæ ferè omnes hypostaticæ essent.

At verò sudor idem, die septimo animadversus, fuerat jam notabili diei sexti parte observatus; undè suspectus ille, infidusque. Quin & aliud quid sudorem hunc reddebat suspectum; custodes ægrorum hyemalia lectorum tegumenta necdum mutaverant; nec attenderam ego. Cum portò caloris, ineunte Aprili, sexagesimum tertium gradum jam notaret thermomètron, egoque casu tegumenta ægri debito graviora deprehenderem, subdubitare cœpi num hisce potius, quàm nature adscribendus sudor non esset? Præcipuè cum jam hinc indè quædam sudamina comparere viderentur.



Hinc stragulorum crassorum alterum auferens, tenuius substitui; sudore autem æquè profuso, abstuli & hoc tenuius. Continuabatur sudor in initium usque diei septimi; deinde subsequabatur mollis aliquot horarum transpiratio; tandem in medio septimo die sudor multus spatio quinque horarum: sub quo sudore; & altero, tertioque die postea, quæ sexto die comparere sudamina cœperant, evanuerunt.

Hinc ad leges hippocraticas omnia examinantes, hærebamus principio ambigui, utrùm sudor diei sexti, ut infido die prodeuns, condemnandus esset; an verò minùs pravus, utpote eo, quo dixi, modo, gentus foret habendus? Attamen modicis sub stragulis animadversus die septimo sudor quinque horarum, unâ cum hypostaticâ urinâ, cum absentia febris, cum notabili functionum emendatione, judicatorius haberi posse videbatur. Equidem rigor sudori non præcesserat; sed alvus solutior, legibus *Hippocratis*, rigoris excluderat necessitatem.

Verùm sputorum perseverabat, alvi- que cruditas. Amamus profectò coctionem, coctique evacuationem, per omnia corporis excretoria loca cernere;



## 82 RATIONIS MEDENDI

aut saltem si per unam, pluresque vias, excretio cocti prodeat, per alias minime, ut per has saltem non prodeant cruda, optamus. Sed in comperto hoc practicus est, & sæpius in nosocomio demonstratum, quod prægressis signis coctionis ac criseos, evacuationes criticae notabiles sic emendarent vires, ut & hæ fierent aptæ, quæ paulatim reliquas coquerent, & eliminarent, cruditates.

Ambiguum igitur iudicium fuit. At tamen pulchra ferè omnium, ac maxime pectoris, functionum restitutio continuatio utinarum hypostaticarum die octavo & nono plus dabat spei, quam metus.

Spem autem dies 14. illusit; in quo febris rediit; mutata quidem à priore, sed & idèd perniciosior. Incepit pulsu celeri ac duro, cephalalgia validâ, siti intensâ, lingua aridâ ac rigidâ, comate. Tussis increvit, excernens nihil præter quædam tenuia ac spumosa; semel autem quid mucosi, cum lineis sanguinis. Alvus interim coacta prodibat; urinæ etiam copiâ, odore, colore, bonæ, sed cum pertinaciter suspensio manente enæoremate. Vena secta est ad unciarum novem quantitatem



Die altero recidivæ, totius morbi decimo quinto, aderant vomendi conatus, inquietudo vehemens, febris singulo bihorio sævitie auctior, moderatior: cocta interim alvus.

Die tertio recidivæ, die 16. morbi, febris enormis, intensus calor, lingua aridissima, ac rigida. Sectâ denuò venâ, effluxere sanguinis unciaë xviii. postea-que vesicantia admota sunt. Expecto- rantia data, & simul ad æstum vehe- mentem contemperandum copiosum rob sambuci, ac nitrum. Tussis, vomituri- tio, febris, ad hæc mitescebant; alvus verò, quæ ab aliquot diebus cocta fuerat, jam cruda iterùm & tenuis. Vespere symptomata omnia graviora, insuper singultus, æstus intolerabilis, pulsus celer, plenus, ac valdè durus, calor universus, vires bonæ, tertiam in hæc recidivâ sanguinis missionem suaserunt.

Die quarto recidivæ, morbi 17. in- choante, calor 108. graduum in ther- mom. fahrenheitiano, qui cum 34. in reaumuriano correspondet, Symptoma- tibus iterùm vehementissimis, cum forti- duroque pulsu, quarto missus in hæc recidivâ sanguinem, copiâ quindecim unciarum. Calor quidem indè sex gra-



dibus minor, sed præcordia, quæ eo-  
 usque anxietas tenebat duntaxat, jam  
 dolor vexat, vomitusque. Sic quidem,  
 ut topicam hinc suspicaremur phlogosin.  
 Alvus nocte ac mane reddita quinquies  
 est, flava quidem, sed tenuis, nihil  
 mista; cum pluribus massulis viridi-  
 bus, compactis, quales in cadorum olei  
 fundo reperire est: oleum porro ore  
 anoque sumserat multum.

Ad finem hujus diei quarti recidivæ,  
 ad diem  $17\frac{1}{2}$  totius morbi, unico qua-  
 drante horæ ante mortem, calor 100.  
 graduum erat. Lucta mortis horæ dura-  
 vit quadrantem. In hac luctâ pulsus,  
 non qualis esse solet celerrimus ac debi-  
 lissimus, verùm lentus admodum, nec  
 parvus & vix inæqualis. Plus quippè  
 decies ego, aliique, illum exploravi-  
 mus. Respiratio autem tam lenta, ut  
 semel altâ voce trigesies & ter numera-  
 verim inter duas respiraciones. Moriens  
 non convellebatur; brachia tantum in  
 rectitudinem exporrigebar. Oculi biho-  
 rio à morte veluti hominis viventis;  
 nihil enim opacati aut corrugati erant.  
 Hoc phænomenon etiam altero die à  
 morte observavimus in aliis.

Iteravimus denuò experimentum  
 mensurandi mox à morte caloris, spa-



tio  $2\frac{1}{8}$  horarum, singulis  $4\frac{1}{2}$  minutis gradum examinantes, & in chartâ notantes. Thermometrum nostrum indiget  $7\frac{1}{2}$  minutis ut calorem hominis indicet, addendo gradus duos ad notatum in eo gradum. Si 15 minutis applicatum, benèque tectum manet, haud ascendit ultra numerum priorem, cui duo gradus additi fuerant. Notabat autem gradus hos: 88. 95. 96. 98. 97. 98. 97. 93. 98. 97. 99.  $98\frac{1}{2}$ . 98. 98. 98. 98. 98. 97. 95. 95.

Superest examen sanguinis in recidivâ missi. Sanguis primæ missionis, mox ubi in vasa exceptus erat, contractam habuit ac densam crustam, eamque toto in ambitu fimbriatam.

In sanguine secundæ missionis crusta non contracta, non fimbriata, sed ut in morbi principio, crusta, & crassamentum, cum omni vitreæ scutellæ ambitu cohærebant. Elapsis horis quinque, cœpit in vase secundo cum crusta, tum crassamentum, se ab uno vaporum latere separare, seque contrahendo exprimere serum. Elapsis horis quatuordecim idem observari cœptum in vasculo primo; nondùm verò in vase tertio & quarto. Crusta quarti vasis



86 RATIONIS MEDENDI  
viridescit, ferè transparet, crassitudi-  
nemque mediæ totius insulæ habet.

In sanguinæ tertiæ missionis, post  
quietem  $10\frac{1}{2}$  horarum, nec contractæ  
crustæ, duræve; nec tamen glutinosæ.  
Crassamentum 1. 3. & 4. vasculi disso-  
lutum; vasculi secundi valdè tenax.  
Passim, quò crusta minùs in lardum  
contracta est, eò minus solet & contrac-  
tum, & durum, esse ejusdem crassa-  
mentum.

Tandem ultimæ venæ sectionis san-  
guis, post horæ  $1\frac{1}{2}$  quietem, tribus in  
vasis collectus, habuit crustam densitate  
crassiorem quàm esset altitudo crassa-  
menti, tremulam verò, nondùm con-  
sistentem; quomodò posteriore exa-  
mine habuerit sese, doleo referre non  
posse, eo quod id chartis mandate  
neglexerim, nec sat accuratè suggerat  
memoria.

Notavimus itaque primum recidivæ  
sanguinem eo prioris morbi magis fuisse  
phlogisticum: deinde & solutum san-  
guinem, & compactum in eâdem venæ  
tusione prodire: prætereà sanguinem  
unius scutellæ longè plus indiguisse  
temporis, quàm aliùs, ut se contrahe-  
ret: denique ab omnibus his venæ



sectionibus pulsum plenum fortemque permansisse, ab usque breve mortis luctamen.

Calorem soli attritui non deberi, quod toties urfi, repetita exploratio cadaveris ultra bihorium producta, confirmavit denuò.

Sed quanta vis in febre caloris! In hac recidivâ plus quatuor libris sanguinis detractum est, dum interea calor, naturali calore humano semper superior, deprehendebatur. Quanta humorum aut copia, aut rarefactio! Post demtas quinquaginta sanguinis uncias, pulsus ad mortem usque plenus ac fortis fuit.

Anatomen, elapsis vincti duabus à morte horis, instituimus. Oculi jam opaci & corrugati. Venter nihil inflatus. Caro musculosa multa, firma; exiguus adeps.

Aperto ventre viscera sic sita, ut hepar ingens, ampliusque ventriculus, totam anteriorem universi epigastrii capacitatem explerent; & ut intestinum colon, sub his depressum, umbilico ferè accumberet. Dolor igitur colicus fallere nos potest, coli ad umbilicum situm vix suspicatos.

Column hoc arctum valdè, & sub



hepate, & sub liene, se longâ sui parte  
suprà sese reduplicabat : ut causa ma-  
gnorum morborum existere potuerit,  
haud extiterit tamen. Vide *tab. 1.*  
*fig. F.*

Ileum intestinum semipedis longitu-  
dine ex inflammatione jam purpurasce-  
bat, variis prætereâ in plagis leviùs  
inflammatum.

Hepar ingens lobo minore explebat  
mediam hypocondrii sinistri latitudi-  
nem : alteram mediam hujus hypocon-  
drii latitudinem splen, triplo major  
solito, occupabat.

Ventriculus duas liquidi mensuras,  
scilicèt octo libras medicas, mensurâ  
captâ, continere valens, suo minore,  
eâque sinistiore parte suprâ, seu po-  
tiùs ante, lobum minorem hepatis, &  
ante lienem collocatus, reliquâ sui  
parte eminebat juxta jecinoris crepi-  
dinem, suoque pyloro infrâ jecur de-  
currens, abibat in duodenum : quod  
quoque digiti dimidii longitudine ho-  
rizontaliter versus spinam decurrens,  
descendere demùm incepit. Inflamma-  
tio aderat in eâ omenti portione, quæ  
duodeno pro mesenterio est, uti & in  
ipso duodeno.

Idemque ventriculus à fundi sui



parte illâ , quæ costis sinistris accumbit , per totam ferè superficiem externam posteriorem , admodum inflammatus fuit , & magis adhuc in eâdem superficiem internam plagâ.

Renes boni , magni. Vesica urinaria lotio turgida.

Pulmones firmissima cellulositate concreti sic cum pleurâ , cum diaphragmate , mediastino , ac pericardio ; ut multis in locis sine horum , aut pulmonis laceratione , divelli non possent ; hocque æque lævo , quàm dextro in latere : in sinistro autem latere tantummodò versus costarum arcum , spatium duos ferè pollices longum , latumque , erat ab accretione liberum.

Cor sinistrum , vacuum , dextrum , sanguinem , non coagulatum , habuit ; sinus dexter polypum album , qui lentè extractus , massam polyposam pedis longitudine ex ambabus jugularibus ducebat , cum rami , quo jugulares inter se communicant , abruptâ portione.

Bona dura mater : pia autem sanguine valdè infarcta tota ; maximè autem ad lobos cerebri posteriores. Polypus quasi vermis in sinu longitudinali. Ventriculi cerebri superiores ne guttulam aquæ continuerunt ; nihil



aquæ tertius ventriculus, nihil quartus  
Totum cerebrum siccissimum. In capi-  
tis detruncatione, nihil ex illo, nihil  
ex thecâ vertebrarum; nihil ex cranio,  
dum ferrâ dividebatur, exstillavit.

Ex quibus omnibus patet infidam,  
infido in die, crîsim fuisse, quæ sudo-  
ribus, die sexto inchoantibus, appa-  
ruit: partem materiæ morbosæ coctam  
solummodò fuisse, & crisi evacuatam:  
at verò magnam crudi copiam altè in-  
fixam mansisse, quæ primo alternoque  
quaternario quieta, symptomata nulla  
excitavit; inchoante verò tertio qua-  
ternario moveri cœpta, corpus vehe-  
menter turbavit, sanguinem inflamma-  
toriè corrupit; inflammatione ditâ affe-  
cit piam matrem, ventriculum, intesti-  
norum varias plagas, quarum una in la-  
tam gangrænam versa, inter causas mor-  
tis recenseri potuit. Sanguis idem ad  
mortem usque inflammatoriè spissus, per  
minima vasa impenetrabilis, inter mor-  
tis causas certè erit annumerandus.

Hæc demùm verè maligna febris  
fuit, vero sensu eo, quo τὸ κακόντες in-  
tellexerit *Hippocrates*, postque eum  
*Galenus*, omnes *Hippocratis* sectato-  
res, & ex cunctis his compendiosè  
*Boerhaavius*, *Inst.* §. 919. Moneo hoc



ideò, quod videam à nonnullis eum morbum propriè, unicéque, haberi malignum, qui humores dissolutos habeat, qui varias maculas, papulasque, expellat, qui ab ipso morbi initio notabilem virium projectionem comitem habeat, dum intereà vera malignitatis in acutis significatio denotet causæ morbi vehementiam; graviolem functionis, cujusque, maximè autem vitalis, læsionem; pertinacem adversus selectissima, optimèque indicata artis præsidia, resistantiam; ac symptomata non tantùm ejus morbi consueta, sed variata, aut omninò alia, aut planè anomala.

Sirus magnitudoque jecoris, moles ingens lienis, coli intestini transversus decursus adedè profundus, monitum confirmant, quod toties repetivi de morborum in visceribus sede circumspectè, ac sæpè dubitanter tantummodò, determinanda.

Pulmonis arcta, ac indissolubilis cum omnibus vicinis partibus concretio, malum videtur à longà die natum. Quare & viginti annorum spatio, præ pectoris affectione; laboriosas hyemes transegisse videtur. Et in ultimo morbo



92 R A T I O N I S M E D E N D I  
nimis adhaerentes pulmōnes cruori phlogistico suscipiendo, trajiciendoque ineptiores, lethaliter demum infarcti fuerunt. Centena sanè exempla sunt, quæ me impediunt assentiri illis, qui hasce pulmonum adhaesiones inculpate à mortalibus ferri asseruerint.

Siccitas insolita encephali, an non à defectu secretionis, ad quam phlogisticus sanguis arteriosus planè ineptus fuit?

---

### C A P U T I I I.

#### D E I L E O M O R B O.

§. I. *Ileus morbus sexto die lethalis, cum auxiliorum adhibitorum recensione. Epicrises morbi. Anatome. cujus notabilis pars exhibetur tab. J. fig. E. De aquâ frigidâ in ileo. In ileo lethali etiam alvus reddi potest. Varius in hoc morbo gangraenæ gradus. Omenti absentia colica causa. Conspectus à morte haud infrequens thalami cordis utriusque perfecte vacui.* §. II. *Ileus lethalis alius, natus post triennem, & quidem primò petiodi-*



cam, sub finem autem continuam, ventriculi tympaniam. Cum hoc ileo etiam tenuium intestinorum & tympanitis, & inflammatio. Memorabilis in hoc ileo hernia entero-mesocolica, unà cum monstroso ventriculo, tab. II. fig. I. II. III. exhibita. Epicrisis totius hujus historiae. Viscera à morbis suâ sede exturbantur. Gangrana sine signis suis lethalis. §. III. Ileus morbus octavo die lethalis, assumpto etiam mercurio. Anatome. Figura exhibens duodecim viros coli intestini flexus. Vid. tab. III. fig. I. Epicrisis. Varia considerationes super causa proxima mortis in hoc homine & in aliis hoc morbo detentis. §. IV. Ileus morbus curatus, assumpto mercurio. Quaedam de fumo tabaci immisso. Mercurii per quatuordecim dies in corpore mora. §. V. Ileus morbus assumtis vii uncis mercurii curatus. Inquisitio varia doseos in hoc morbo à variis exhibita. Questio agitur num à mercurio hic morbi nervorum timendi; eâque occasione de auro deglutito loco mercurii. An mercurius frigore noceat? demonstratur frigore potius prodesse: & sic convenire cum methodo alterâ Hippocratis curandi tetanum. De acris umbilico applicandis. De machinâ italicâ.



§. 1. ILEUS frequens morbus, semper terribilis, creberrimè lethalis, quamvis à me in tomis prioribus periodici hujus operis sæpiùs recensitus sit, tamen ob recentiores; eisdemque notabiles admodum casus, de integro me cogit de suâ ipsius tyrannide, deque homicidiis suis, nonnulla propalare.

Juvenis novemdecim annorum, ileo morbo elapsâ ætate periit. Vivo non adfui: quantum autem expiscari ex illis potui, qui eum & noverant, & amicitiz causâ in morbo inviserant, hecticus ante quadriennium à medico habitus fuerat, idque dimidii spatii anni: exindè paulò rectiùs se habere visus, tussi non frequenti quædam tenuia reddere consuevit, linguam fissam perpetuò conquestus est, ac frequentioribus colicis doloribus obnoxius vixit.

Anno 1766. Augusti mensis die quinto, consuetâ suâ colicâ, & modicâ febre, nocte corripiebarur. Clysmate mane die sexto Augusti immisso, mitior dolor, vespere denuò sævior fuit. Dato tunc emolliente decocto, cui chamomillæ flores infulsi, principio levare visus est, deindè autem minime.



Die septimo Augusti medicus ordinarius arcessitus, præscripsit misturam ex

Aq. flor. chamomillæ unc. vj.

Magnesiæ nitri dr. iij.

Salis polychr. dr. j.

Syr. althææ unc. ß.

ejus sumsit cochlearia tria singulo bihorio. Jussitque abdomen inungi unguento composito ex

Ung. dialth.

Fl. calend. ana unc. ij.

Camph. scrup. ij.

Prætereà immitti clyisma emolliens præcepit. His non levantibus, decoctum emolliens cum tamarindis bibit ad noctem; postquam alvus, quæ ulla eoufque fuerat, liquida copiosaque prodiit.

Die octavo Augusti, febris magna, duro cum pulsu, fixoque ad latus ventris dextrum dolore. Mistura dicta hoffmanniana data est; decoctum hordei quoque, cui admistum oxymel; necnon pulvis quem componebant.

Magn. nitri, scrup. duo.

Nitri puri gr. v.

Pulv. Haly, gr. x.

Erat mane hic pulvis, & vespere sumendus, Varia insuper & cataplasmata, & enemata præscripsit.

Die nono Augusti, æger summo mane frigidam aquam clàm bibit, brevi au-



tem post ventre immaniter doluit, vomuit, contremuit, friguit. Interea dum medicus expectabatur, sumebat consilio amici dragmam rhei, & misturam compositam ex menthâ cum opii granis duobus; repetivitque clyfma. Tensus jam venter erat ubique; minùsque latere dextro, magis in medio, dolebat. Tandem medicus accedens, primam demùm venæ sectionem instituit; hoffmannianam misturam continuaret, suavit, hordeique decoctum. Emulsum prætereà dedit, cujus libræ dr. vj. Syr. diacodii additæ. Repetivit denique enemata & cataplasmata. Nox pessima. Pulsus celestimus, parvus, durus.

Die decimo Augusti, exp. medicus misturam dedit compositam ex

Aq. scorfoneræ unc. vj.

Magnes. nitri. dr. iij.

Salis polychr. scrup. ij.

Nitri puri scrup. j.

Camphor. gr. 2.

Syr. althææ unc. ß.

cujus cochlearia quo vis trihorio sumenda essent.

Deindè

℞. Auri fulminantis gr. vj.

Arcani duplic. scrup. ß.

Nitri puri gr. v.

Eo



Eo die ter hic pulvis sumtus est.

Die undecimo Augusti pulveres auri fulminantis repetiti. Accessit ad morbum ventris peripneumonia. Ad septimam vespertinam moritur, expletis fermè sex morbi diebus.

Cadaverè potiri, nonnisi elapsis 42. à morte horis, potui; hinc calidâ hâc tempestate jam fœtuit immaniter.

Et in percindendo abdomine, clauso adhuc peritonæo, multus, isque fœtidissimus, aër, ex tunicâ adiposâ exhalabat, bullasque veluti emphyzematofas formabat; quales alibi, sed longè copiosiores, observasse me retuli, *part. 8. cap. de ileo.*

Aperto abdomine, omenti longitudo, ut ut explicata, apparuit vix pollicis lati; ità ut nuda hîc hæserint intestina.

Colum intestinum defiguratum sic, ut verbis describi nequeat: undè *tabula I. fig. E* idem depinxi.

Ad omnes hæc miras coli reduplicaciones inflammatio levior detegebatur: materies autem inflammatoria sanguinis transsudando genuerat crustam, quâ illæ coli reduplicaciones secum mutuò agglutinabantur.



Obex autem durus in hisce reduplicationibus nullus est repertus.

Ileum intestinum duobus potissimum in locis dirè inflammatum reperiatur, ac colore hîc purpureo, illic livido, gangrænoso. Scilicet in latere dextro infimo, longitudine duorum pedum; & in eodem latere, sed altiùs, ac secùs umbilicum, longitudine pedis. Fuerantque ambo hæc loca doloris in ileo morbo sedes. Crusta flava, quæ in colo, etiam hîc, multas tegebat intestinorum plagas, inflammatas potissimum illas, gangrænosasque: aderatque & ad mesenterium.

In plagis ilei intestini inflammatis nulla inventa coarctatio est, nulla introfusceptio, nec, quæ transitum denegare potuisset, dura materies: æqualem hîc cum cæteris intestini partibus intestinum habebat diametron.

Ventriculus, valdè expansus, habebat à facie suâ anteriore, pauxillum sinistrorsum, in suæ altitudinis medio, transversam plagam, longitudinis latitudinisque digiti integri, zonæ instar, inflammata, ut in pulcherrimâ injectione: in quâ & hoc notabile, quod multis valdè in locis exiles extravasa-



tiones exhiberentur, quæ, inter hæc pulchrè veluti injecta vasa, plurimas quasi peticulas, seu petechias, referebant.

Hepar ingens lobo suo majore in medio epigastrio terminatum; minore autem lobo diaphragmatis inferiori laterali regioni, ope ligamenti fortis membranei, versùs arcum infimarum costarum, connexum.

Pulmones, utroque pectoris in cavo, ab omni cohæsione cum vicinis liberrimi, cinereo colore in paucis, livido multis in locis, anteriùs ac lateraliter, conspiciebantur: posticâ verò facie universâ ex rubicundo ferè nigrescentes, ac facilè ad levem contrectationem diffluentes. Quin & pulmones undique pressi, veluti per poros liquidum transsudabant: hoc præcipuè in lobo dextro superiore ac medio: duri autem ab infarctu non erant.

In pericardio liquor non aquosus, sed obscure ruber, paulò fortè solito copiosior.

Cor utrumque perfectè vacuum, ut vix reliquiæ tantilli sanguinis versùs ejusdem orificia superessent.

Diagnos. morbi ileus inflammatorius est, ex colicâ periodicâ natus; seu



colica periodica in lethalem ileum versa. Qualisnam autem colicæ species fuerit, hominem, dum viveret, contuitus nunquam, non ausim determinare.

Quæ causa proxima ilei lethalis? Incertum est utrùm hæc inflammatis, gangrænosisque ilei plagis, an verò in complicati coli hæserit locis. Equidem elapsis 42 à morte horis nihil quo intestinum sive coarctaretur, sive obturaretur, inventum est: verùm quamvis non semper, sæpè tamen, relaxantur ejusmodi constrictiones, seu spasmodicæ, seu inflammatoriæ; aut suapte sponte, aut gangrænâ in morte, imò ante mortem: ut pluries in incarceratis herniis vidi. Sed complicatæ coli superioris ac inferioris partes, dum hoc intestinum in principio morbi tensum repletumque esset, potuere citrà spasmos inflammationesque, viam aëri, fæcibusque, præcludere omnem: si jam, ut multis in colicis, Pictonum maxime, fit, muscoli abdominales convulsivâ contractione arctaverint abdomen, in complicatis hisce coli partibus causa morbi proxima eo faciliùs locata fuisse intelligitur.

Ex iis, quos à diro hoc morbo DEO dante, vel curavi, vel homi-



num illo affectorum interitum procrastinavi, didici tutiorem certioreque eam methodum esse, quæ tempestivis venæ sectionibus, quæ multo oleo, quæ purgantibus opio interpolatis, quæ clysmatibus fumi tabaci maturè valdè adhibitis, & si opus est, epoto mercurio, instituatur; quàm quæ misturis dictis hoffmannianis; quàm quæ serâ, imò ferissimâ sanguinis missione, auroque fulminante, tentetur. Aurum fulminans si benè paratum est, nihil agit; non benè paratum, morbum auget. Nec laudavit id, quamvis ab aliis datum, cl. Hoffmann, cap. de iliaco dolore. Clysmata fumi tabaci, licèt pluries fallant, maximè quandò aut causa planè invincibilis obtinet, aut nimis serò ad hoc auxilium confugitur, continuatâ tamen observatione restituunt multos. Exempla manifesta attuli olim, & in meâ viciniâ nuperrimum habetur.

An frigida, quam æger clam hausit, nocuit? Præstantiam gelidæ aquæ in hoc morbo experimentis evici, part. 8. cap. de ileo. Sed serò nimis æger noster eam bibit. Gangræna videtur quarto morbi die in priore loco doloris jam nata fuisse, eo quod, evanescente ibidem dolore, frigus, tremor,



pulsusque cum debilitate frequens, observarentur.

An fæces liquidæ ac copiosæ, fi-  
niente altero morbi die missæ, boni  
augurii non erant? Et iliacos, & her-  
niosos, cum ejusmodi dejectionibus tam  
servari, quàm mori, pluriès vidimus.  
Vel enim obex solutus totus est, red-  
ditusque talis peristalticus motus inte-  
stinis, ut antiperistalticum viribus su-  
peret; vel prodit tantùm vi enematum  
aut pars, aut totum stercoreum, quod  
infra locum ubi causa proxima residet,  
hærebat; morbo nihil indè levato: vel  
tandem gangræna, partes relaxans,  
nata est; quæ si parva, inchoataque  
tantùm, aliquandò adhuc curabilis est;  
si magna, atque completa jam est, mor-  
tem infert. Vide quæ *part. 2. 3. 4. 7.*  
& *9. de ileo & hernia* notata sunt:  
maximè verò *part. 7. capite 4. toto.*

Omenti defectum inter colicæ cau-  
sas haud absurdè quis memoret. Omenti  
enim est, intestinorum respectu, tegere  
illa; fovere, ac lubrica servare.

Hepar etiam hîc totum ferè epiga-  
strium explens, imò sinistro in latere  
forti ligamento accretum cum diaphra-  
gmate, confirmat toties datum moni-  
tum de necessariâ prudentiâ in sede



PARS UNDECIMA. CAP. III. 103  
morborum ex solo partium situ deter-  
minandâ.

Rarior observatio est hominis, pe-  
ctore olim sic laborantis, ut multo  
tempore phthisicus crederetur, postea-  
que semper tussi aliquâ laboraret; cui  
tamen pulmones ab omni cohæsi-  
one perfectissimè liberi invenirentur. Cæ-  
terum peripneumonicorum referebant  
pulmones: peripneumoniâ enim periit,  
jam in gangrænam tendente; ut in acu-  
tis toties. Vi inflammationis sanguis  
omnis inflammatoriè corruptus, ineptus  
demùm fit, qui pulmones permeet; vel  
& organum respirationis, debilitate à  
morbo genitâ, ineptum fit, quod hu-  
mores, quàmvis per se adhuc permeabi-  
les, sat efficaciter transmittat.

Cordis vacui thalami utriusque sat  
frequens est observatio, ut in prioribus  
patuit, ut in hoc casu patet, & in §.  
seq. patebit; inane ostendens conamen  
omne vitales actiones, eas cordis præ-  
cipuè, systemate irritabilitatis expli-  
candi.

§. II. Delata in nosocomium fuit  
16 Dec. 1766. vidua 57 annorum,  
cujus hæc anamnesis. Ante elapsos ab  
hinc 30 annos viros provecæ ætatis  
nupsit, ac primo quidem anno pepe-



rit, deinceps verò nunquàm. Gravida vehementer vexata hæmorrhoidibus fuit; eademque, post puerperium adhuc valdè molestas experta, cùm medici consilium de aperiendis illis sprevisset, fistulam ani contraxit: à quo tamen malo operatione fortunatâ liberabatur.

Sexennium est, quod febre acutâ laboraret, in quâ integris sex diebus deliravit, & à quâ non nisi post quatuor ærumnarum exactas septimanas emerfit. Meminit sitis, eodem in morbo inexplebilis, ut à continuo potu temperare sibi non posset, quantũcunque ne sibi irreparabile fortè damnum inferret, assiduò moneretur. Quare etiam ex acuto hoc morbo in hydropem intercutem brachiorum, crurum, ventris, lumbique, incidit. Ab illo tamen quopiam, quod ignorat, infuso, brevi curata fuit; ac sana integro postmodum triennio flatu incommodo excepto, vixit.

Vitam sedentariam perpetuò, & hucusque, egit. Menses semper regulares in 45 ætatis annum habuit.

Triennium est, ex quo singulo ferè sesquialtero mense latus abdominis lævum, mox sub costis, intumesceret



PARS UNDECIMA. Cap. III. 105  
sibi, tumore paulatim ultrà medium  
ventrem porrecto, ibidemque veluti in  
acumen assurgente. Non doluit tumor,  
sed dum femina jocando ventrem tu-  
mentem sæpè percuteret, resonuit. Per-  
stabat tumor tres quatuorve septima-  
nas, perque alias duas tresve subside-  
bat. Disparente tumore copiosos com-  
modosque emittere flatus potuit; eo-  
dem verò redeunte, nullos.

A medio penè elapso abhinc anno,  
urinam reddere cœpit adedò acrem, ut  
sibi indè pudenda roderentur; copio-  
sam quidem, sed frequenter urgentem,  
cum sedimento copioso, alboque; in  
medio limpidam, & quid crassi in su-  
perficie gerentem.

Medius quoque annus erat, ex quo  
in deglutiendo id incommodi pati cœ-  
pit, ut deglutita ad certum quendam  
locum hærent, quem nos conjectaba-  
mur eum esse, in quo œsophagus dia-  
phragmatis fissuram transiturus est: sic ut  
nonnunquàm ipsi per aliquot minuto-  
rum spatium interquiescendum esset,  
antequàm ingerere quidquam de inte-  
gro auderet.

Octiduo ante morbum, de quo mox,  
tristis, præterque morem morosa, levi  
quoque ac continuâ tussi, vexata fuerat.



Tandem 12 Dec. totâ die inhorruit, citrà vel intermiftum, vel subsecutum, æstum. Appetitu caruit. Quo eodem modo & die 13 Dec. se habuit.

Die autem 14 Dec. horâ noctis primâ, ventris ipsi tormina oriebantur, haud eo, quo solebant loco, verùm in ventre medio, itâ ut centrum doloris umbilicus esset, unâ cum ructibus nauseisque. Prælo quasi sibi præcordia premi, ac contorqueri, conquerebatur, & ex ventre quidpiam versûs pectus conscendere, à quo singultus primò, deindè vomitus. Toto hoc die vomitus cum reliquis symptomatibus continuavit, nec minùs nocte. Quid vomitu reddidisset rogata; tenuem regessit, aquosamque materiem.

Die 15 Dec. omnia hæc continuaverunt. A biduo alvo carenti immissum clyisma fuerat, quod duram eduxit materiem: repetivissetque, ait, idem, ni à priore clysmate malè habuisset.

Die 16. vomens in nosocomium hispanicum invecta carpento est, moxque indè ad nos, gestatorio.

Auditis feminae querelis, mox ventrem examinavimus. Dolebat ille & in loco antiquo, à margine sinistrarum costarum, jamque adusque ilei ossis ca-



vum ; & in plagâ novâ, medio nempe ventre : qui dolor ab umbilico, ceu centro, ad semipedis in ambitu latitudinem diffundebatur ; centro veluti acuminato.

Nullam aquæ fluctuationem, tactu deprehendimus ; sed potiùs, non quidem sonitu, sed adspectu tumoris inæqualis, ac divisi, adesse tympaniam judicavimus. Dolor ab attactu augebatur.

Principio quo apud nos fuit, haud vomuit, sed exprobravit ; nec singultivit verè, sed eructavit. Febricitantem acutè à die 12. Dec. conclusimus ex inflammatione ventris. Cùmque febris cum pulsu duro, eoque pleno incretceret, uncias xiv. sanguinis de brachio dextro misimus. In vasculum primum sanguis optimè fluxit, levem duntaxat crustam formans : in alterum vas lentè fluxit, & crustam modicam, priore tamen densiorem ; in vas tertium celerrimè fluxit, & densiorem prioribus crustam exhibuit.

Enema ex emolliente decocto, cum mellis & olei lini ana unc. ij. & nitri dragma, injiciebatur ; undè alvus post horam, cum multis parvis cybalis, & portione unâ majore. Emulsi libra cum unciâ syrupi diacodii dabatur, molliens



cataplasma toti ventri circumdatum est & scutum stomachicum, ex unciâ empl. de labdano, granis xij. camphoræ & totidem opii crudi, & bals. peruv. q. s. compositum, regioni ventriculi admotum est.

Post hæc omnia, symptomata, dolore excepto, mitigabantur, appetitus aliquis nascebatur, & absque insequente vomitu comedit, quod petierat, jus carnis cum panis tantillo.

Venter ad noctem tumidior quidem, sed mollior. Cæpitque frigus conqueri internum, cum tepore extremorum; quamobrem plura stragula coniecimus in illam. An frigore hoc nascens ab inflammatione gangræna notabatur? Sed ipsa febris bidui frigore inceperat, & cum præsentis frigore pulsus parùm modo celer, plenusque ille, gangrænam negabat.

Siris interim magna continuat. Mala nox fuit ob vomitus continuos, ructus, singultus, anxietates. Urina tamen, quæ prioribus diebus vix prodierat, hæc nocte ultrâ libram prodiit, benè colorata, cum crassiore enæoremate, brevi subsidente; adeòque nullatenus gangrænosa.

Die 17 Dec. ad sextam matutinam



reperi calorem ejus ad therm. fahr. 98. gr. pulsusque & fortem, & durum & celerem. Calor ergò naturalem ferè superans, pulsusque talis, metum removebant gangrænæ; licèt quid adhuc superesset hesterni frigoris internarum partium.

Cùm ergò ex enarratis febris aucta videretur, & dolor perseveraret, aliam venæ sectionem tentavi, quam jacens probè sustinuisset, sed dolorum immanitate, & anxietate victa, subito erexit sese; erecta autem animo loqui cœpit: hinc mox destiti captis sanguinis unciis quinque. Sanguis hic, qui benè fluxerat, non crastam, sed optimæ consistentiæ crassamentum exhibuit.

Sitis multa perseverat. Enema, heri secundo immissum, hodiè ad quintam matutinam cum paucis scybalis; & ad sextam cum materiâ flavâ, pulstem referente, exivit.

Calor postmodùm hominis sani, graduum 96. scilicèt; pulsus fortior, & durior, frequentior; respiratio difficilior. Venter tamen mollior, in medio minùs, sed per totum æquabiliùs expansus; in epigastrio autem plus, quàm heri, tumefactus.



110 RATIONIS MEDENDI

Ambiguum profectò morbi statum esse nemo non videbat. Etenim ab unâ parte inflammationis augmentum in sextum diem jam continuabat, internumque jam ultrâ 20 horam frigus, quod necdùm omninò disparuerat, metum faciebant gangrænæ ingentem; ab alterâ tamen parte calor, color, pulsus, suspicionem hanc penitùs fugare videbantur.

Ad ileum igitur solvendum, allaborandum fuit: quæ enim ab enemate materies iteratò prodierat, ex solo intestino colo, haudquaquam à loco inflammato, videbatur prodire; siquidem nec pulsus, nec dolor, mitigarentur; quæque pridie siluerant symptomata, vomitus, singultus, ructus, de nocte repetivissent.

Purgante itaque chyli, fæcumque, tentandum transitum ratus, primò vomitum opiato sopire debui; *Sydenhami*, & *Hoffmanni* experientiam, meâ pluries confirmatam, religiosè sequutus.

Cepit itaque quovis horæ quadrante cochleare hujus mixturæ, uti.

℞. Laud. liq. Syd. gtt. xxx.  
Syrupi menthæ unc. jß.  
Aq. melissæ simpl. unc. iij.



& propter casus ambiguitatem,

Extracti cort. peruv. drag. ij.

Mistura hæc; mirum dictu, quàm mox ab initio, perque diem totam, cuncta pacaret; vomitum, singultum, anxietatem, dolorem! sic ut ægra exclamaret præstantiorem nunquam in vitâ suâ sibi datam medicinam fuisse, de- que universo morbo unicam superesse lassitudinem.

Minus igitur de gangrænâ cogitatum est: quippe in quâ pacantur quidem symptomata, sed dum pacantur, simul virium imminutio atque projectio advertitur; celerrimusque cum parvitate & inæqualitate pulsus, vultus prætereâ oculorumque collapsus, ac frigus: hîc verò totâ die pulsus decies, pluriesque, & à me, & ab aliis, exploratus, subdurus deprehensus est, & plenus, æqualis, & modicè tantùm celer: nec in vultu, oculisque, quid pravi cernebatur; extremaque calebant.

Toto antemeridiano, totoque pomeridiano tempore, læta ægra fuit, quod tam benè se haberet quodque eousque, citrà periculum suffocationis, citràque vomitum & singultum, dextrum in latus cubare non potis, commodè jam cubaret in illud; petivítque iteratò



suam ne auferrem, mutaremve medicinam. Mutandi profectò illam non fuit mihi animus; à quâ tam benè se habebat, & quæ spem dabat fore ut pacatis symptomatibus, viribusque adeò constantibus, alvus demùm resolveretur, præsertim si melliore frequentique clysmate sollicitare pergeremus eandem. Poteramus eundem felicem, subitumque ab opio sperare effectum, quem *Riverius* lætabatur *Cent. 1. n.º. 12.* in suo juvene, cui in ventris acerbissimo dolore, à datis laudani opiatu sex granis, tanta rerum mutatio fuit, ut intra bihorium dolor omnis cum cessaret, tùm non rediret: poteramus sperare, ità fortunatam ægram nostram fore, quemadmodùm laudatus mox auctor ibidem n.º. 86. refert sexagenariam fuisse, quæ in dirissimum hunc morbum tertio relapsu, ceterisque haud relevanda artis auxiliis, granis opii quinque à dolore, & reliquis symptomatibus convalesceret, nec relaberetur.

Sed ô vanas mortalium spes! ô fallacias! Dum ad vespertinam horam feminonam clysmata, cum paucâ flavâ, ac pultem referente materiâ, ægrota animosè deponeret, anxiam reddi cœpta est, lævumque reclinata in latus ocu-



los in altum defigere, petere qui assisteret sacerdotem, ac voce demùm destitui. Pulsus intereà bonus esse perseveravit, respiratio vix læsa, extrema quidem tepida, vultus autem calidus mansit. Interim nihil eorum, quæ circa se gerebantur, gnara erat, neque ad validiores clamores vel minimum dedit mentis præsentis indicium. Brevi indè algere cœpit anxie respirare, inæqualem habere, parvumque, & celerrimum pulsum, paulòque ante decimam animam efflavit.

Toto hoc tempore me, lecto adstantem, respirationis occupabat modus. Irregularis illa fuit; sed adeò lenta, ut inter singulas respirationes altâ ego voce numerarem unum, duo, tria, & sic porrò ad 20. usque, iterum ad 30. ad 34. ad 50. & semel ad 60. quod minuti circiter spatium explet. Inter antepenultiam & penultimam 60. iterum numeravi, inter penultimam & ultimam 30.

Animus fuit thermometro explorare corporis mox à morte calorem; quia verò id illicò ad manum non erat, quinto tantùm à morte minuto ferè expleto, admotum est: quovis semiquadrante horæ, adeòque per integram horam



octies, idem gradus hofce, hoc ordine notavit, 92. 92. 94. 96. 97. 97. 96. 95. Nec suspicetur quis thermometron continuatâ applicatione debito plus incaluisse, alcioresque proinde notavisse gradus; nam nec in homine sano, quotiescumque ultrâ quadrantem horæ admoveatur, etiam bihorii ac trihorii spatium, vix altiùs unquam, quàm spatio quadrantis adscenderat, adscendit: deinde, dum sensim cadaver ad calorem atmosphæræ reducitur, calentis thermometri gradus sensim quoque diminuuntur, ad eumque atmosphæræ reducuntur: ità ut perpetuò verus ejus, quod exploratur, corporis, gradus notetur caloris.

Dives profectò doctrinæ clinicæ hic casus est: quo autem ad illam contemplandam aptiores accedamus, anatomicen præmississe expediet, quæ horis 35. à morte expletis publicè facta est.

Oculi utriusque corrugata cornea, & opaca; dextri autem minùs.

Rigiditas infernorum supernorumque artuum ea major multò, quam quæ cadaveris esse solet. Forti tamen ac lentâ flexione brachia, quæ angulum rectum cum humero faciebant, in rectitudinem porrigebantur; rectaque ma-



nebant. Hæc in præcedentibus sæpiùs ideò notata vides, quod clari viri certas veræ mortis determinandæ regulas exindè cudere tentarient, frequentiore examine haud sufficienter instructi. Cum oculis veluti vivis, cum artuum vel nullâ, vel maximâ rigiditate, certam mortem adesse pluribus demonstrationibus evici.

Panniculus adiposus digiti lati crassitiem habuit. Venter minùs acuminatus in medio, minusque tumidus; ità ut corrugata jam cutis, sulcataque, conspiceretur.

Peritonæo aperto, tympanites & ventriculi & intestinorum omnium manifesta fuit, excepta duarum spithamarum portione in fine ilei. Hoc & cetera omnia, quo clariùs capiantur, inspiciatur tab. II.

---

FIG. I. II. III.

- A. Ventriculus tympaniticus.
- B. Ejus os superius.
- C. Totum id, quod de hepate sub costis visibile fuit.
- D. Fundus vesiculæ felleæ.



E. Os ventriculi inferius, seu pylorus. In cadavere ventriculus totum contexit sub se pylorum: unde hic ventriculum minùs, quàm par est, turgidum delineare debui, quo & pylori sedem, & à duodeni principio ortam jam tympaniam, ostenderem. Una patet ad D. plica ventriculi, ut & alia ejus plica, antequam pylorum formet: nam ad usque F. ventriculus est.

F. Angustatio corporis ventriculi ad fundum vesiculæ fellis, ex vesiculâ transsudantis, colore longè latèque tincta profundissimè.

G. Locus designans umbilicum cadaveris, infra quem colon intestinum protusum inveniebatur.

N B. Post pylorum, mox tympaniticum duodenum apparet; cui literam, ne figuram obscuraret, non apposui.

H. Saccus cæci parvus valdè, cum processu suo vermiculari, qui processus hîc neutiquam vermicularis, sed digiti instar in rectitudinem porrigitur.

I. Ileii intestini finis, quo in cæcum se inserit, angustus admodum,



PARS UNDECIMA. CAP. III. 117  
complanatus, & in suâ complanatione vix digitum latus. Meliùs conspicitur in *fig.* II. & III. ab S. ad X.

- K. Flexus coli hepaticus, seu dexter.  
L. Humilis coli situs in abdomine, qui ut meliùs conspiciatur, locus umbilici ad G. notatus est. Coli quoque hîc apparet amplitudo.  
M. Colon subitò vehementerque inter duos flexus arctatum.  
N. Flexus coli lienaris, qui altior fuit quàm in figurâ exhiberi potuit, sub ventriculo quippè delitescens.  
OO. Colon valdè angustum.  
P. Iterùm triplo amplius.  
Q. Coli flexus ultimus, ubi in rectum abit, cum relictâ eâ tantummodò sui mesocoli portione, quæ ad intelligenda sequentia requirebatur.
- 

FIG. II. & III.

*Fig. II. anteriorem, Fig. III. posteriorem faciem exhibet. Litera duplices ad utrasque pertinent.*

RR. Cæci saccus.

SS. Angustum ileum à suâ in cæcum



infectione, ad X. usque, spatio  
duarum spiritamarum

TT. Ileum intestinum hic tympaniti-  
cum, ut etiam erant intestina  
tenuia omnia, ad pylorum us-  
que.

VV. Extremum coli, cum relictâ me-  
focoli portione.

W. Locus ubi ileum ex tympanitico  
arctum fieri incipit.

XX. Plaga in mesocolico, in *fig. II.*  
notata, designat locum, ubi in-  
testinum ileum suo in mesocolon  
ingressu herniam facit. In *fig. III.*  
inversâ, litera X. herniam indi-  
gitat: utraque autem figura tenui-  
tatem indicat intestini ilei, her-  
niam inter, cæcumque: constri-  
ctum hîc valdopere intestinum fuit,  
sic ut eo educto vix minimi digiti  
apex per sacci herniosi collum po-  
tuerit transire.

In pericardio vix aqua inerat. Ma-  
gnum cor. Sanguis multus grumofus in  
thalamo ejus sinistro; in dextro autem  
& copiosior, & poliposior. Pulmo dex-  
ter nullibi, sinister inferiùs superiùs-  
que, levi adhæsiione cum pleurâ nexus:  
uterque ab anteriore parte colore obf-  
curior, à posteriore solito rubicundior.



Renes parvi, boni : bona pelvis, ureteres, vesica.

Hepar universum sub costis reconditum, eam lobi majoris si exceperis portiunculam quæ ad lit. C. sistitur.

Vesicula fellea ingens, cum hepate sub costis recondita, fundo suo prominebat infrà costas, supra monstrosi ventriculi plicam, ut ad lit. D. pingitur. In mundando, dum collum ejus faucia-retur, bilis benè multa effluxit in ventrem; nihilominùs adhùc ultrà uncias duas ex vesiculâ eduximus bilis ferè nigræ, solitæ spissitudinis.

Plica quam ventriculus in F. formabat, transsudante bile profundissimè tincta erat, ad duos in latitudinè, ad tres in longitudine, pollices. An sic bilis intra sanguinem resorberi, hocque pacto icterum creare possit?

Intestinum ileum pluribus in locis leviter, propiùs ad herniam multum, inflammatum fuit.

Atque hæc de visis & repertis in cadavere sufficiant; ut ad morbi pathologicam discussionem, anamnesi in memoriam revocatâ, accingamur.

In anamnesi ea coram stitimus, quæ ab annis retrò triginta contigerint. Nemo anamnesticam nostram prolixè



tatem quærat. Solemus enim ægrorum anteactam vitam scrupulosè semper inquirere, ne quid nos fugiat, quod ad determinandas mali causas, naturamque, facere utcunque possit. Eâ intentione responsa illorum literis mandamus, atque bis, ter, pluriésque, examen repetentes, non pauca sæpè corrigimus, desiderata complemus, ac sic perficimus totum.

Quæ ab annis triginta contigisse femina narravit, ad rem præsentem facere non arbitror; sed quidem illa, quæ à sexennio. Etenim valda febris accuta, in quâ, ad sitim inextinguibilem, enormem aquæ copiam fatetur abliguriisse sese, monitisque, ne ità ageret, iteratis, ob sitis intolerabilitatem non obtemperasse; videtur corpus vehementer debilitasse, intercutem creasse hydropem, tardam reduxisse salutem, nec vires ad illibatam sanitatem requisitas post se reliquisse; præsertim cum sedentaria vita, quàm coluit femina perpetuò, corpus ab ægritudine infirmatum non roboret, sed debile, & iners, flaccidum, relinquat.

Fundamentum itaque morbi, seu causam prædisponentem, vita sedentaria unâ cum superstite hâc debilitate posuit:



posuit : flatus ac borborygimi, quibus femina post acutum illum morbum obnoxiam se fuisse narrabat, hanc ventriculi intestinorumque inertiam probant; huic deindè dispositio tympanitica in sinistrâ, eâque superiore abdominis parte se adjunxit : causa suscitans prædisponentem, ut cum eâdem morbum, seu causam proximam, constituat, fortè haud è longinquo quærenda illi erit, qui perpendit secum viscera cava illuvie nimiâ sic extendi, ut multam faciant suæ contractilitatis jacturam : quâ ex re consequitur id, ut iteratâ sæpiùs distendente causâ, intereâ dum ipse vitæ modus corpus debilitat, hæc ipsa viscera vix ultrâ propellant contenta, hinc distendantur immaniter; & cum propulsis contentis aër semper præsto est, qui in loco calido occlusus vehementer rarefcit, hinc in tympaniam incidant.

Hæc porrò tympania ventriculum præcipuè occupasse videtur, si quidem tumor sinistro in latere mox sub costis, ad usque medium epigastrium, resedisse fertur.

Itaque ventriculus flatu turgens, videtur primùm fuisse ab hepate, ne



dextrorsum extenderetur, præpeditus; undè tantò magis anteriora corporis extendit: & quia observaverat femina à superioribus paulatim ad umbilicum se extendisse tumorem, patet etiam ventriculum hunc debilitatum magis magisque, tandem ab aëre ità expansum fuisse, ut totam hanc plagam occuparet.

Sed demùm mulier aiebat tumorem dextrum quoque implevisse latus. Scilicet tympanites ità crevit, ut pedetentim pepulerit suâ de sede jecur, inque superiora truserit; undè sic hepar se sub costis recondere cogebatur.

Porrò cùm id lentè admodum factum sit, bilis excretio in intestina indè multum passa non est; eo quod ductus communis, ductus cysticus, & hepaticus, sensim elongati, sine notabili turbatione pervii manserint: nisi postremo fortè vitæ tempore, dum vesicula bile tantâ turgeret.

Ultimo in morbo haud epigastrii tantùm, sed & hypogastrii est tumor conspectus; hypogastrii tamen maximè in sinistro latere; quia propè herniam credibile est maximam ilei expansionem contigisse.



Intestinatorum ultimo in morbo nata tympanites, herniæ effectusne fuerit, an ejusdem causa?

Pro utrâque sententiâ militat ratio. Primò namque hernia omnem ex ileo intestino transitum negans, in causâ fuit, cur hoc intestinum ab aëre, & alimentis, medicamentisque, vehementer expanderetur. Et confirmari hæc sententia videtur, eo quod inferioris ventris tumor, non nisi cum signis ilei morbi, sive herniæ, comparuerit.

Ab alterâ parte, si à tympaniâ ventriculi sensim, ut fit, intestina tympaniam quoque sibi contrahant, causæ volvulorum, & herniarum habebuntur in multis locis, iisque potissimùm, ubi intestinatorum gyri supra sese mutuo reduplicantur. Ponamus intestini ilei ejusmodi plicam in pelvi fuisse, & vacuatis intestinis colo ac recto, evacuatæque vesicâ urinariâ; ileum ante hanc plicam plurimo aëre tumuisse: si coli finis, si rectum intestinum, si vesica urinaria de integro suâ quæque materiâ amplificentur, utique turgens intestinum mesocolon removere, in eoque, non satis retrocedente; herniam generare potuit.

Notat autem anamnesis tympaniam



non fuisse perpetuam, sed quovis fequimense rediisse, sic ut unâ alterâve septimanâ sileret. Quæ causa hujus? Si catameniis suis, hisque quolibet fequi altero mense redeuntibus, eo tempore adhuc ægra gavisa esset, quæpiam ratio phænomeni haberetur: imò si mensibus cessantibus supervenisset hæc tympanites periodica, causam hujus nonnullam ex menstruorum continuante nisu explicare forsitan anniteremur; sed novem anni ad mensium defectu ad principium tympanias decursi, non admittunt ejusmodi explicationem.

Nunquid *Sanctorii* observatio de menstruâ hominum plethorâ lucis hinc afferat quidquam? Quippe quæ hujusmodi irregularitatibus aliquando subjecta sit, quibus ea fœminarum menses quâlibet quartâ, quintâ, sextâ, octavâ septimanâ habentium plethora, seu universa, seu uteri saltem topica, obnoxia est? Hâc ratione causam quandam insultûs hujus periodici caperemus, modò constaret annosiores viros, feminasque, ejusmodi sanctorianam plethoram menstruatim pati. Verùm quidquid de hâc excitante causâ sit, de eâdemque conjecturemur, veram certamque definire eam cum non valeamus, questionem



totam in medio relinquemus. Cogimur in similibus ignorantiam nostram candidi fateri. Hódie vir sexagenario major, convenit me, qui calculum non mediocrem, eumque asperum valdè, in vesica habet; ut quatuor medici, unusque chirurgus, absque ullâ difficultate, primo catheteris tentamine deteximus; interea dùm à longo admodum tempore calculi cruciatus triduo tantùm patiatur, triduoque denuò, nullo adhibito auxilio, liberrimus sit. Multa similia in *Rat. med.* exempla protuli.

Duos autem veluti alios, novosque morbos, mulier nostra intereà tolerare, medio ante mortem anno, debuit; quorum alter, urinæ rodens acrimonia fuit; alter, difficultas deglutiendi. Cùm neutrius mechanicam in cadavere causam detexerimus, priorem ab humorum cacochymiâ mucosâ, acri, ad ouropoieticum systema determinatâ; alterum à portentosâ ventriculi expansione, in anteriora vehementer assurgentis, œsophagique proindè finem distrahentis, vel diaphragma quo loco œsophagum transmittit comprimentis, suam duxisse arbitror originem.

Tandem febris videtur duorum dierum frigore, die 12 Decembris ince-



piſſe, tertioque ejus die vel hernia entero-meſocolica acceſſiſſe, quæ inteſtini ilei inflammationem, tympaniam, gangrænâque genuerit; vel hernia talis ex tympanitide inteſtinorum genita acceſſerit: quæ ipſa hernia tam ſuâ conſtrictione, quàm natâ inteſtini ilei ante herniam gangrênâ, mortem quarto die intulit.

Sed quæſtio gravis ex eo naſcitur, quod femina gangrênâ periſſe videatur, interea dum in vitâ pulſus, pluraque alia phænomena, longè abeſſe gangrênâ clamitarent. Quippè defuerunt hîc, quæ in gangrênâ proſectâ eoſque, ut mortem & mineretur, & inferat, ſigna enarrantur: virium projectio, pulſuum cum celeritate parvitas, frigus extremorum, oculorum collapsus faciei labiorumque præcipuè: livor, &c. Utiquè ſi, cum omnibus hiſce, aut ſaltem præcipuis, videatur æger quiſquam ſibi de futurâ ſalute blandiri, non eſt, quòd propterea medicus fallatur, idolentiæ partium, olim dolentium, cauſam ex gangrênâ, eâque lethiferâ, oriundam ratus: at verò nullo pravorum ſignorum præſente, ceſſante etiam, quod affuerat, frigore, ægotam noſtram gangrênâ



interfectam esse, ut & ultima vitæ hora, & anatomicus docuit conspectus; res profectò est, quæ, ut ut illam hinc stupemus, illinc subtiliore ratiocinio quadantenus explicare periclitamur, novum saltem hunc medendi canonem cudere jubet, ut, quantumvis disparantibus gangrænæ signis, fallacem, insidamque quamcumque emendationem esse statuamus, quamdiù haud redierit perfecta salus.

Exp. D. *De Knobloch*, natione russus, qui biennii, ni fallor, spatio, indefessâ diligentia collegia mea omnia frequentavit, hujusque seminæ & morbo adstitit, & anatome, dissertationis suæ inauguralis. (quam laudatissimam fuisse, licet necdum acceperim, reor,) materiam, me annuente indè sumsit, dum æstate elapsâ in almâ & inclitâ universitate leydensi gradum doctoratus acciperet.

§. III. Sartor septuaginta tres annos natus, plurimâ æstatis & autumnii parte anni 1766. diarrhœâ, ac subindè dysenteria laboraverat, incassum numerosis medicamentis assumtis. Emollientia dein imminuere dejectiones, sed non stiterunt. Agyrta demùm arcanis suis possumdedit hominem, sic ut 19.



Dec. inflammatione intestinorum laborare cœperit, quam biduo neglexit; dein antiphlogisticâ methodo, purgantibus, oleo multo, opio, mercurio crudo, ter ad libram mediam assumpto, vindicari à morte non potuit, quæ contigit initio diei 27. Dec. Cadaver 30. horis à morte, ejus in ædibus, studiosis, & medicis, adstantibus, aperui.

In abdomine aliquot unciaë aquæ rubellæ inerant.

Intestina conspiciuntur in *tab. III.* Tenuia erant inflata valdè; crassa autem, valdè tympanitica. Inflammatio multa iis non aderat, præterquam ad finem coli, in quo obstructio notabilis mox enarranda.

- A. Intestinum cœcum in dextrâ pelvi.
- B. Flexus coli primus.
- C. Flexus coli secundus.
- D. Reflexus coli versùs superiora, quem removi parùm, quo clariùs conspiceretur. In cadavere enim pars D. & E. ferè omninò latebat sub B. & C.
- E. Flexus coli, isque iterùm sub hepate tertius.
- F. Flexus coli quartus isque lienaris. Turgens hîc intestinum valdè,



PARS UNDECIMA. CAP. III. 129  
diaphragma vehementer trudebat  
in altum ; ut cordis actio hinc  
quoque multum perturbaretur ,  
oportuerit.

- G. Descensus coli ab hoc suo lienari flexu.
- H. Flexus quintus.
- I. Flexus coli sextus.
- K. Flexus septimus.
- L. Flexus octavus.
- M. Flexus nonus.
- N. Flexus decimus.
- O. Flexus undecimus.
- P. Flexus duodecimus.
- Q. Intestinum rectum.

Maximè notabamus flexus M. N. O. quos usque ad P. aperuimus. Intestinum sub hoc loco toto M. N. O. complanatum fuit, ut in eo cavitas deesset. Pars ejus M. N. L. K. tympanitica compressit hos subjectos flexus. Expeditum fuit iter ex ileo in cæcum.

Mercurium splendidissimi salis instar invenimus stercoribus mollibus, non formatis, iisque copiosis, mistum 1<sup>o</sup>. in ileo propè cæcum, 2<sup>o</sup>. in cæco ipso. Sed homini dragmam mercurii dulcis, cum aliis purgantibus, datam in hoc morbo fuisse inaudivi : undè fortè qui



130 RATIONIS MEDENDI  
hic ità splendidus inventus mercurius  
fuit, mercurius ille dulcis fuerit.

Dùm circa hæc invicem colloquebamur, & mercurium hunc eluebamus, chirurgi intereà cadaver ob immanem fœtorem consuebant; absque examine facto necessario intestini tumentissimi ad C. quo constitisset an fortè ibi maxima mercurii moles non hæreret.

Ventriculus parvus.

Pulmo sublividus uterque; anteriùs firmiter, laxiùs in latere, laxissimè in dorso, cum pleurâ connatus.

Cor utrumque ità vacuum sanguine, ut veluti elotum esset. Gramosus sanguis utriusque in sinu, in dextro magis.

Quæritur utrùm solo in abdomine an verò etiam in thorace, mortis sit quærenda statuendaque causa?

Profectò in solo intestino colo duodecim flexus reperti sunt, quorum plerique ad læthalem obstructionem sufficiant. Et ut colon, ità quoque intestina tenuia tympanitica erant. Sic ut & crassa & tenuia intestina, longè amplius, quo aptè continerentur, spatium exigerent. Ut ut enim diaphragma & peritonæum cedunt, tandem resistunt: si nunc totus hic tubus adedò immaniter expansus clysmatibus hinc,



medicamentis, alimentis, potulentis illinc, assiduò adhuc magis repletur; si aër; in eodem tubo adeo multus, morâ vehementer rarefcatur; aër, inquam, qui in physicis demonstratur deciès & sexiès amplius, quàm primò spatium occupare posse; necesse est omnia hæc tumentissima intestina inter se se vehementer compressa fuisse, viamque sibi mutuò præclusisse: hinc ad omnes duodecim plicas, in colo intestino; plicas tenuium longè numerosiores; lethalis obstructio nasci potuisset.

Si præterea vim mesenterii, quam ex eodem vulnerato, *Ruischius* didicit invitam humanam ingentem esse, perpendamus; an non ab ejus in casu nostro compressione, vellicatione, contorsione, ac ferè dilaceratione, horrenda phænomena, ipsumque consequi lethum possint?

Gangræna equidem aut mesenterii, ac mesocoli, aut intestinorum, nondùm vera aderat: verùm & hæc, & illa; quândò eorundem arteriarum, venarum, nervorumque interceptiones, nervorum præterea vellicationes, attentè recogitemus universum; systema arteriosum, venosum, ac nervosum



commovere, sensorium commune, vitalesque turbare actiones, vitam demum sufflaminare, possunt.

Sed vitales actiones lædere, ac sic sufflaminare, ut cor vacuum utrumque repertum fuerit, & hepar potuit, & flexus coli superior, in sinistro latere: valida quippè horum in diaphragma appensione, cor cum suo pericardio complanari, sicque basi suâ flecti potuit, ut sanguis omnis in sinibus colligeretur, hincque vacuus reperiretur uterque cordis thalamus.

Quin & hæc jecinoris in alta protrusio sola, fortè necare hominem posset. Cogita eidem venam cavam accrescere, hanc unâ cum illo attolli, violentè distrahi, comprimique; cellulositatem fortem quâ vena eadem cum omnibus vicinis colligatur, vellicari, lacerari; nervos in viciniâ decurrentes, ac cellulosite eâdem implicitos, unâ cum venâ cavâ distendi, convellique; an non præter pessima alia symptomata, capiamus sanguinem venosum, ab inferioribus refluxum, hâc lege præpediri ne in cor dextrum fluat? Idemque hepar, si latum crassumque est, interea dum diaphragma violenter attollit, an simul non comprimit subjectam aortam,



venamque cavam, quo universus sanguinis circulus perturbetur?

§. IV. Quinquagenaria matrona, cacochymica, hydropis nonnunquam experta primordia, duro tumore in medio hypogastrio laborans, frequenterque colicam clausam, à quâ enematis plerumque liberabatur, perpessa, tandem elapsâ hâc ætate, dum sat benè se habens aura rurali peterisdorfiensi, frueretur, sumsit, suadentibus in prophylaxin amicis, lagenam aquæ fedlicensis. Vix verò epotâ illâ, ventrem tormina vexant, nec solvitur alvus.

Auctis cum anxietate doloribus, injici jubet clysterem. Sed nec eo prodeunte, in urbem defertur. Clarus ejus medicus, postquàm multa auxilia artis frustrâ tentasset, auri fulminantis vires explorare contendebat; sed nec sex ejus doses quid opis attulerunt. Vocatus fui die quarto in consilium. Conclusum fuit fumi tabaci experiri clysteres; hisque non opitulantis, vivum mercurium cum multo oleo amygdalino propinare.

Injecto porrò hoc fumo, fæcum quidem aliquid prodiit, sed morbi interim increvere symptomata. An tabacum nostrum vilius fuerit, ideòque non



profuerit ; eo quod clarus *Heisterus* ; qui hæc enemata tanti fecit , optimum ad id commendet tabacum ? Præstantissimum profectò mihi in posterum comparabo.

Igitur die morbi quinto mercurii vivi libra data est , qui cum oleo amygdalino , trino haustu , assumptus mox omnem , ut solet , vomitum stitit , ileumque morbum copiosâ alvo brevi solvit. Rescivi postmodùm ab illâ , nobilissimoque marito , primis ab assumto hoc remedio diebus mercurium alvo liberaliter prodiisse , deindè verò parciùs : sic quidem , ut quarta decimâ ab ejus assumptione die adhuc globuli mercurii cum fæcibus conspicerentur. Ex illo tempore & bona , & quotidiana alvus est. Reliqua ejus incommoda perseverabant , & hydrops crurum , femorumque : sed perseverante tumore hypogastrii , atque hydrope intercute artuum inferiorum , redeunte , viribus sensim defecit , ac trimestri spatio à curato ileo elapso periit. Inspectione cadaveris , ut audio , constitit corpus durum , atque ingens , ex uteri substantiâ genitum esse. Fortè id annorum aliquot spatio dolorem & obstructionem , intestini sive ilei , sive coli , partem plus



minùs premendo , creavit , ipsumque demùm ileum : ità tamen , ut mercurii pondus intestinum compressum dilatate , reddereque potuerit permeabile. Optimus *Hoffmannus* notavit quoque , capite *de dolore & spasmo iliaco* , à sex mercurii unciis assumtis intrà quinque horas alvum prodiisse , & cum illà hujus semimetalli unciam , ultràque duas hebdomadas semper ejusdem quidquam in fœcibus conspectum fuisse. Casum hunc post sequentem historiam commentabor.

§. V. Anno 1752. vocabar ad coquum ileo morbo laborantem , à colicâ pictaviensi , ut videbatur , orto. Pleraque auxilia frustrà adhibita erant. Etiam auctoritate *Galenii* ingens cucurbita admota umbilico fuerat ; postquàm non modò non levatus fuit , sed in tantas convulsiones incidit , horæ quadrantein durantes , ut à tribus robustis viris vix teneri , vix gubernari , ne sibi noceret , lectove excideret , posset : ex convulsionibus autem , epilepticorum instar in somnum stertorosum incidit , algido cum sudore , & omni modo pulsu inæquali. Cùm autem æger pridè furibundè delirasset ; validissimàque convulsione totus quantus in altum esset sublatus , perfectâque amaurosi affici



cœpisset; non est cur convulsionem post cucurbitam natam, cucurbitæ adscribamus. Amaurosis hæc, ut &, quæ affuit, ischuria, ileum, ex Pictaviensium colica ortum, designabant.

Post hanc convulsionem vomitus continuus fuit potûs, alimenti, & medicamenti. Id autem constanter observatum est, quod cerevisiam, quam clàm subindè frigidam hauserat, non evo-muisset.

Quarto die sumsit unc. iij. mercuriï crudi cum unc. ij olei amygd. Eo non agente, sedi sequenti mane, scilicèt die morbi quinta, unc. iv. verum duas tantùm deglutire voluit; duas reliquas sumsit die sexto.

Ut celeberr. *Hoffmannus*, loco infrà citando, in suâ matronâ magnam ab assumpto mercurio tranquillitatem observaverat, ità quoque in meo coquo, à tribus hisce singulis mercurii dosibus, tres noctes longè tranquilliores sequebantur. Alvus tamen nondùm solvebatur, nisi repetito enemate. Ab hoc demùm alvus copiosa, sed absque ullo mercurio. Nihilominùs vomitus redibat cunctorum, præterquàm frigidæ cerevisiæ. Altero enemate injecto modica prodiit, citrà mercurium, alvus;



ut & post tertium enema, quod elapso trihorio ab ultimâ alvo injectum erat. Doloribus indè crudelissimis obortis, insedit calido molliente balneo ad jugulum ferè usque  $\frac{3}{4}$  horæ. Quartum postea enema, idque purgans, injectum est; undè alvus quidem prodiit, sed nullus cum eâ mercurius. Dolorum ferocitas & quintum clyisma, idque oleosum; & olei cum opio potum; poposcit. Septimo morbi die, post tolerabiliorem ab opio, oleoque noctem, sextum clyisma injectum est, ab eoque cum fæcibus copiosis pars mercurii prodiit. A septimo & octavo clysmate, sine mercurio alvus. Die octavo post nonum clyisma aliquid mercurii fæces habent. Jam demum ad se rediit mens, gutta serena ablata est, appetitus adfuit, pulsusque omni modo bonus. Nonâ die spontanea alvus prima, cum plurimâ veluti corrosi, ac nigricantis, mercurii parte. Diebus aliquot subsequenter examinatae fæces, naturali modo quotidie redditæ, nullum ampliùs mercurium habuerunt. Gravissimo hoc morbo soluto, nulla secuta paralyfis est; quod in eos noto, qui paralyfin, à colicâ Pictonum oriundam, dato adscribant opio. Sed hos refutare non opus, cum



138 RATIONIS MEDENDI  
experientiâ abundè evicerit 1°. non  
rarè paralyfin jam cum morbi principio  
nasci; dum de opio aut dando, aut non  
dando, nulla adhuc quæstio fit. 2°.   
nervorum vellicationibus, & distractio-  
nibus, prudenti opii usu mitigatis, ra-  
riorem longè à colicâ Pictonum para-  
lyfin observari, quàm quandò falsò  
præconcepta de opio opinio usum ejus  
in hoc morbo damnat.

Refractam valdè mercurii dosin de-  
di, cum quod summoperè reniteretur  
æger, ut ex historiâ patuit; tum quod  
eandem, eâve minorem, sufficere clari  
viri censuerint. *Riverius*. 1. 2. uncias  
sibi scribit suffecisse. *Sylvius De Le  
Boe*, *idea prax. med. lib. 1. cap. 15.*  
*§. 53.* idem confirmat. *Paræus*, *lib. 21.*  
uncias iij. sufficere testatur. Aliàs ma-  
jorè dosin medici exhibere solent.  
*Rhodius*, *cent. 2. n°. 80.* scribit unc.  
v. melle rosaceo mistis, iliacum deplo-  
ratum se curavisse. Celeberrimus *Hoff-  
mannus*, *tom 4. part. 2. sect. 2. cap. 4.*  
*obs. 4.* matronam unciis vj. sanavit.  
Et *Paræus*, qui tres modò uncias de-  
dit, plus dari posse censuit, laudando  
*Marinum*, *sanctum*, *paralitanum*, qui  
plus simplici vice libram, imò libram  
sesquialteram, mulieri dederit, eamque



citrà noxam alvo viderit brevi ejectam. *Zacutus Lusitanus*, *Prax. adm. libr. 2. observ. 35.* strenuissimo duci libram optimo cum eventu propinavit. Imò *libr. 2. de princ. med. hist.* scribit multos in ileo conclamato mercurii librâ, cum aquâ calidâ haustâ, ab imminente morte liberatos esse. *Kalschmidius*, in *Actis N. C.* libram quoque dedit. Et matronæ nostræ §. IV. libram generosè dedimus, 1<sup>o</sup>. quia, non ut coquus, tergiversabatur, sed ad omnia paratam se exhibebat. 2<sup>o</sup>. quia metus mortis in pro-cinctu erat, ni extemplò levaretur. 3<sup>o</sup>. quia cum insons esse remedium confiterit, tutior magna, quàm parva, dosis esse videtur.

Verumtamen obstat *Hoffmanni* auctoritas, qui cautè mercandum esse suadet, eo quod ægri à mercurio epoto non minùs iis, qui mercurium fodiunt, depurant, aut quomodocunque tractant, nervorum sibi contrahere morbos possint; idque videtur feminæ demonstrare exemplo, cui ultrà 14. dies quid hydrargyrii alvo prodiret: «ulti-  
» mo verò loco, *inquit*, id non præ-  
» termittendum esse censeo, quod col-  
» lectis licèt viribus, fomnoque & ap-  
» petitu redeunte, tremorem in artu-



bus, atque vacillationem & impo-  
 tentiam in pedibus, ultrà mensis ad-  
 huc spatium, perceperit: quæ per-  
 molestæ affectiones dextro nihilomi-  
 nus balneorum usu prorsus demùm  
 sublatae, & discussæ fuerunt.

Negari utique non potest mercurium,  
 licèt in sanis mox alvo elabatur, licèt  
 etiam in ileo morbo sæpè citò pertran-  
 seat, tamen in ileo, obstructis admo-  
 dum intestinis, diuturniorem aliquandò  
 moram trahere. Coquus noster eum sex  
 diebus ventre continuit; matrona nos-  
 tra, & ea *Hoffmanni*, 14. diebus,  
 licèt copiosa quotidie alvus prodiret.  
 Utrùm duriore fæce, crassove muco,  
 involutus, in coli cellulis demoretur,  
 an in cæci delapsus appendiculum sit,  
 quibus à locis partitim lentèque depel-  
 latur, determinare non ausim. An in  
 hisce latebris moratus ab acrimoniâ  
 quâdam erodi possit? Sicque nervos  
 non tantùm crudus, sed & acer factus,  
 lædere queat?

Quodsi hæc ità se haberent, annon  
 præstaret aureos globos deglutire? Au-  
 tem enim mercurio tantò gravius, vi-  
 deretur esse quoque tantò ad fæces de-  
 pellendas potentius, & si diutiùs in cor-  
 pore moraretur, non foret nervis ini-



micum ità , ut mercurius. In ileo datum fuerat frustrà horrendum purgans ex granis. iv. mercur. vitæ , cum x. gran. troch. alhandal. Deglutitis tandem globulis aureis duobus , sequenti die copiosissimæ fæces prodire , & globuli aurei post 36 horas : vide *Burneti , Thes. part. j. pag. 357.*

Sed contra : illustr. *Hoffmannus* unicum modò proferre potuit , quo hanc assertionem probaret , exemplum : deindè merito queritur , num hoc exemplo id , quod probare conabatur , verè probaverit ? 1<sup>o</sup>. enim paralytici morbi centies observantur curatos iliacos à tergo sequi , si colica Pictonum in causâ fuerit , licèt hydrargyron non potaverint. 2<sup>o</sup>. *Winklerus* apud *Bonnetum* , (*Med. Sept. libr. 3. cap 30.*) exhibet hominem nobis , qui ope succi librarum sex putridorum pomorum borstorsiensium ab ileo liberatus , nihilominùs contracturâ membrorum , spatio 18. septimanarum laboraverit. Et 3<sup>o</sup>. ægri mei mercurio ab ileo curati , nullos passi sunt nervorum morbos.

Sed aliud quid timetur , ne scilicèt frigore noceat. Undè & nonnullos id calidè cum potu , aut jure carniùm , ut mox ex *Zacuto* disceramus , inges-



fuisse videmus : & *Henricum ab Heers* (lib. 1. obs. 2.) » ne mercurius frigore suo interanea lædere posset, statim clysterem ex puro cretico vino injecisse, legimus «. Hoc autem experimenta docere debent, quæ an adsint, videamus.

1°. In iliaca clari *Hoffmanni*, & in meis, mercurius vomitum aut omninò, aut ad tempus, stitit; & symptomata plùs minùs pacavit.

2°. *Hoffmannus* ibidem casu v. agræ suæ iliacæ dedit pro omni potu » aquam » fontanam frigidam puram, aquâ menthae correctam, cujus libræ salis absinthii dr. j. & succi citrei unc. ß. adjecerat, more riveriano «.

3°. Idem magnus auctor gelidæ usum cum collegâ *Naboth*, testatur egregium ejusmodi in morbis se observasse.

4°. Experimenta, tom. ix. *Rat. Med. cap. V.* relata, docent ileum morbum Neapoli aquâ gelidâ curatum; potum frigidum eidem ægro postmodum, *Vienna* eundem in morbum relapso, unicè proficuum; herniamque incarceratam gelidæ admotu fuisse sanatam.

5°. Illustrissimi *Hoffmanni* œnepola vomitu cuncta rejecit, præter aquam



gelidam, cui quidem calentis frustulum panis injectum erat, calorem verò ab illo servare non poterat.

6°. Idem in epicrisi ad hunc iliacum morbum, hanc suam frigidam aquam laudat impensè, testimoniumque *Amati Lusitani* affert, asserentis, » se atrocem intestinorum dolorem aquæ frigidæ exhibitione subito, & incantamenti instar, sustulisse «.

7°. Idem auctor prætereà ( *tom. iv. sect. 2. cap. 5.* ) laudat utrosque lusitanos *Zacutum*, *Amatumque*, ut » qui » colicam biliosam, ( nobis dictam pitavensem ) cum aquæ frigidæ potu, » tum nivis usu, curatam meminissent.

8°. Adjungit ad hæc *Hoffmannus* observasse se se » paralyfin, hâc de colicâ notam, frigidioribus, quàm calidis balneis, magis, oscultasse «.

9°. *Petrus Forestus* ( *lib. 21. in schol. ad obs. 12.* ) mirè quoque utrosque lusitanos laudat » quod aquæ frigidæ » interno, externoque usu, complures » & à colicis, & ab iliacis morbis, » curavissent «.

10°. *Joannes Crato* ( *lib. 3. cons. 13.* ) medicos magnos existere ait » qui » frigidissimam aquam adhibeant in » hisce morbis «.



11°. *Burnetus* (in *Thesauro lib. j. pag. 315.*) scribit *Franciscum Gautier* nonnisi frigidissimis tantum & exhibitis, & admotis, ab hoc morbo curari potuisse.

12°. *Septalius* (*lib. 7 animadv. pag. 248*). hominem ventris dolore ad omnia rebelli ferè enectum, ut algidus sudor jam adesset, nullusque ultra percipiendus pulsus; aqua multa, etiam nive frigefacta, sic mutavit ut mox in somnum quatuor horarum incidere, ab eoque somno alvum copiosissimam deponeret, ac integræ restitueretur sanitati.

Ex quibus omnibus, ni fallor, conficitur id, ut mercurius frigoris causâ non modò non vituperandus, sed potiùs laudandus sit: ut cuncta in genere frigida actu, motum convulsivum à loco affecto intestini versùs superiora moderando, sedandoque, efficiant, ut motus peristalticus ab irritante in affecto intestini loco causa exsuscitetur, animetur, solusque nunc agens, materiæ obstruentis determinationem versùs inferiora promoveat.

Num forsitan, cum *Hippocratis* tetani frigidæ aquæ affusione curandi methodo, hujuscemodi convenirent observata?



servata? Profectò si toties, aut totus ileus convulsivus est, aut convulsio aliundè accedens; hunc morbum aliàs fors solubilem, jam irresolubilem reddit, gelidorum nervis applicatorum efficacia, videretur methodo *Hippocratis* explicanda: & esset quoque huc referenda historia, quam ill. præses ex *Act. Edimb. tom. 5.* profert, in quâ ad morem hippocraticum prudens gelidæ affusio ileum morbum, qui consuetæ methodo, calentibusque fomentis, minimè obaudiverat, feliciter sanavit: quo eodem modo illustris *Westerhoff*, (*Rat. Med. part. ix. pag. 155.*) incarceratam vetulæ herniam, calidis fomentis immorigeram, aquæ gelidæ applicatione sanavit.

Est tamen methodus tetanum curandi *Hipocrati* duplex: altera quidem frigidis, calidis altera admotis; ut demonstravi (*part. x. Rat. Med. à pag. 349. ad 351.*) Eodemque planè modo duplex & nostra est: plures enim & calidis epotis, & calidis percurremus fomentis; nec, nisi his irritis, ad frigida audacter confugere solemus.

Quæstio superest an tutò in hoc morbo violenta & acria remedia umbilico adplicentur?



Varia argumenta videntur huic applicationi patrocinari. 1<sup>o</sup>. *Galenum* nominamus ingentem cucurbitam umbilico admovisse, idque plures laudasse practicos.

2<sup>o</sup>. *Ballonius Epid. I.* » Vidimus, » inquit, cuidam acerbitate doloris colici detento, placatos esse dolores, » adhibito umbilico modico emplastro » caustico, & veluti escharam faciente, » & intus foras evocante ». Sic refert ille, licet haud omnino id approbare videatur, sed, ad affinia effectum remedia, aliquanto autem tutiora, ut confugiamus, hortetur.

3<sup>o</sup>. *Dan. Sennertus (lib. 3. part. 2. sect. 2. cap. 2. & quoque lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 6.)* » Efficax est ad colicam oleum saponis, quod sic paratur:

- ℥. » Sap. hispan. part. j.
- » Calcis vivæ part. ij.
- » Destill. per alemb. vel. retort.
- » Oleum ab aquâ separetur, cuius gtt. 6. vel 7. umbilico cum gossypio imponantur.

4<sup>o</sup>. *Dissertatio Duisburgii ad Rheenum* prodiit, anno 1763. auctore *Mathæo Brukner*, de colicâ Pictonum, cujus in curâ commendatur lati, fortis-



que emplastri vesicantis, cum cantharidibus parati, applicatio, ad locum ventris plurimum dolentem. » Hoc, *inquit*, » ità agit per nervos in emissaria organorum excretoriorum, ut disponantur ad transmittendum recrementum. » Non extimescendus est ille dolor levis, indè excitatus, ac si dolorem dolori adderemus. Nec volumus inquirere, an revellendo, an attrahendo, an stimulando, agat illud? Scire sufficit optatum impetrari effectum, » puto doloris colici immunutionem ex topico tali, anodyno hic omnium summo «. Sed cùm in colicâ Pictorum præcipuus dolor ad umbilicum sævit, videtur auctor ille vesicantis ad umbilicum intelligere adplicatum: imò posthâc id videtur jubere, siquidem addit: » Intereà dùm, hæc aguntur, nempè cùm vesica elevatur in regione umbilicali, &c. » Ergo umbilico applicandum jubet, idque diù tenere apertum; sin minùs, à latere alterum imponendum esse. Ac demùm addit: » curam tutissimam, citissimam, jucundissimam *methodo nostrâ* » *constanter observavi succedere*, qua » paresis arceri & præcaveri potest, &



„debet : & quo citiùs his succurritur ;  
 „eo minùs periculi“.

Non video cur minùs in desperato hoc morbo uteremur vesicantibus , quàm in sævâ pleuritide , postquàm debitæ & evacuationes , & applicationes , vehementiam non moderantur doloris : undè cùm vesicans in pleuritide sæpè miranda præstet ; cùm & acria , & vesicantia , auctores in ileo morbo tantoperè laudent ; tutò nos in hoc morbo vesicantibus uti posse arbitror ; postquàm , ut in pleuritide , consueta artis adminicula incassùm adhibita fuerint. Et quemadmodùm haud in laterum dolore inflammatorio duntaxat ; sed & in rheumatico , atque spasmodico , vesicantium laudamus , extollimusque effectum , ità quoque in variâ ilei naturâ eâdem confore reor.

Est autem aliquid , hâc occasione monendum. Oleum lini clysmate frequentius injectum , oleum amygd. recentiss. ore assumptum , morbo huic egregiè mederi non semel vidi ; ipsum autem lini oleum , cùm nauseosum sit , ægrique hi continuè ferè vomant , rarò ore sumendum dedi : cùm tamen idipsum nunc percipiam ab exp. viro Gal.



PARS UNDECIMA. CAP. III. 149  
*leski*, tilsitensi medico, tot tantisque  
efferi encomiis, dum unum ejus, alte-  
rumve cochleare, quâvis horâ in potu  
aliquo calido exhibetur; itâ quidem,  
ut etiam post stercoreum vomitum sa-  
lutem afferret; tutò quoque in posterum  
explorare expedit.

Machinam italicam, de quâ *part. 8.*  
& *9.* egi, in hoc morbo tantoperè  
laudatam, brutis tantùm applicui, non  
applicaturus hominibus, donec nume-  
rosa Italorum exempla majorem inge-  
rant fiduciam audaciamque: tum quod  
semel iterùmque sese obtulerit experi-  
mentum in cadaveribus humanis, tan-  
tam esse nonnunquàm valvulæ coli re-  
sistentiam, ut ne ingens quidem hujus  
machinæ potentia eam potuerit supera-  
re; tum præsertim, quod mirandus ac  
formidandus ille casus, quem (*Rat.*  
*Med. part. 9. à pag. 157. & seq.*) re-  
tuli, homini profectò, si contingeret,  
lethum indubitatò esset illaturus.





## CAPUT IV.

## DE VARIO HYDROPE.

- §. I. *Paracentesis abdominis fortunata, quam lymphæ educæta sperabilem non fecerat. Laus corticis peruviani hoc in casu. Phenomena lymphæ educæta, & facta cum eadem experimenta.*
- §. II. *Alterâ paracentesis octennis puella. Aliquid circa requisitam corporis in paracentesi positionem. Remediorum à paracentesi datorum, chinæ potissimum, recensio. Experimenta cum lymphâ facta.*
- §. III. *Paracentesis tertiæ feminae 28. annorum. Et quoque optimos à cortice peruviano hæc est experta effectus. Occasione experimentorum, de lymphâ captorum, quadam de lithiasi. Explicatio textûs prognostici ex Hipp. libr. ij. Prorrh. Quadam de hydrope peritonæali.*
- §. IV. *Paracentesis quarta. Phenomena lymphæ. Duplex in hac feminâ morbus, pectoris, ventrisque. Incertitudo utrùm cum ascite cysticus, solus adesset ascites? Reditus ascitis post*



PARS UNDECIMA. CAP. IV. 151  
paracentesin, & tandem mors. Ana-  
tome. Epicrasis. Tumor in vitâ ma-  
nifestus, in cadavere non invenitur;  
ad quod explicandum §. sequens ador-  
natur. §. V. Tumor epigastrii mobilis;  
tumor profundior ventris veluti em-  
phyzematicus, in vitâ percepti, citrà  
eorundem in cadavere vestigia. Ascites  
adsuit. Cur haud instituta in illo pa-  
racentesis? Anatome mirabilis. Epi-  
crasis. Phenomena lymphæ. Curiosa  
membrana inventa in ventre. Ventri-  
culi degeneraciones frequenter propè  
pylorum inveniuntur. Quid demùm  
fuerit id, quod nobis tumoris dederit  
perceptionem? De internâ externâque  
sanguinis transsudatione. De judica-  
toriis nihil judicantibus. §. VI. Cysti-  
cus hydrops, in quo octies est instituta  
paracentesis. Enarrantur auxilia, quæ  
internè externèque admota sunt. Mors.  
Inspectio cadaveris. Multa in eodem  
maximè notanda. Et virgines quoque  
uterinos quosdam morbos, quos aliàs  
viro usæ, pati possunt. De vermibus  
quædam. §. VII. Pathologica discussio  
quintuplicis nobis noti hydropis, unà  
cum serio examine, 1º. diagnostico-  
rum singuli signorum; 2º. auxilio-  
rum quæ peti ad singulum ex medi-



*cinâ, chirurgiâque, soleant; 3<sup>o</sup>. ex demonstratione incertitudinis diagnoscas, tutior medendi methodus proponitur.*

§. I. **F**EMINA 25. annorum, convenit me die 15. Maii anni 1766. referens elapso abhinc fefquianno se, in quintum mensem gravidam, febre intermittente correptam fuisse, ab eâque non liberatam, nisi sextâ demùm à partu septimanâ. Lochia parcissimè fluxisse, vix detumuisse à partu ventrem; & in octavam usque septimanam sese macram, debilemque, lactasque infantem: febre autem, sextâ à partu septimanâ, exulante, tumidiorem ventrem sibi redditum fuisse, cruraque tumere cœpta: hæc tamen postmodum, non illum detumuisse.

Deprehendimus manifestam in ventre fluctuationem. Nonnullis medicamentis frustra usa erat: & licèt à sex retrò septimanis baccharum juniperi infusum, quod sæpè confert, largiter bibisset, paucam tamen admodum urinam reddebat, multâque siti vexabatur. Menses tamen sub hujus infusi usu redierant, appetitus aderat, & quotidiana alvus.



Dedi ipsi salem alkalinum in vino; vinum scilliticum, aromaticum, &c. à quibus dum nihil omninò levaretur, ad paracentesin obeundam in nosocomio mansit.

Paracentesi 28 Maii institutâ, prodire 68. libræ aquæ, non fœtentis quidem, sed subrubellæ, grumoso sanguine in vasorum fundo paulatim collecto. Lympha ad ignem parte multâ avolabat, parte aliquâ coagulabatur; admistu syrupi violarum colorem non mutabat.

Emulsio leviter paregorica mox dabatur, admistâ unciâ unicâ aquæ cinnamomi simplicis à quâ molesti post operationem flatus commodè discutiebantur. Pressione aquarum ablatâ, promota mox urinarum secretio & excretio est: sic ut decimâ postea horâ urinæ libram mingeret, deque die in diem copiosius, cum crasso sæpè sedimento.

Et hoc die, & toto tempore, quo in nosocomio fuit, calor 96. 97. graduum, calor utique hominis sani, fuit. Mox bonus ab operatione appetitus; quamque passa inexplebilem erat, sedata sitis fuit. Intrâ 15. dies adeò convaleuit, ut repeteret pagum suum.

Eventum adeò felicem aqua, ventre



educta, sperare vetuerat. Copia namque magna cruoris singulo in vase, quo eam effluentem exceperamus, subsedebat. Hinc partis cujusdam diabrosin, facilèque insequuturam gangrænam, similes olim captæ observationes vereri jubebant.

Ut autem, quoad ejus fieri posset, hanc infaustam prognosin averruncaremus, dedimus feminæ mox à conspectâ postridiè hâam lymphâ, unciam integram certicis kinæ quotidiè; domumque redeunti semilibram ejus procuravimus illi, ut unciam mediam quotidiè adhuc sumeret.

§. II. Octennis puella, parvæ valdè staturæ, rhachitica, variolas quinquennis passa, sana exindè, cœperat ineunte Octobri 1766. abdomine tumescere, & intrâ 14. dies ejus esse molis, quam nobis medio Januario 1767. in nosocomio, cum manifestâ fluctuatione, monstravit. Cùm ab egregio solertissimoque medico *S. Rathberger* optima ac selectissima remedia, summâ quidem cum prudentiâ, incassum verò, exhibita essent, auctor matri fui, ne inani medicatione vires ultrâ dilapidarentur, ut paracentesi aquam extrahi fineret. Annuit. Jan. 21. eam instituimus.



Instrumentum triquetrum difficulter intravit, nec sine dolore solito majore. Causam rimati, deprehendimus eam hîc esse, quod jacente corpore lymphâ minùs in pubem gravitans, superiora versùs fugiat, si venter totus lymphâ non expandatur. Undè si quis postmodum evacuandus hydrops est, qui universum ventrem non tendat, corpore erecto puncturam faciemus; ut à gravitante aquarum in epigastrio mole tendatur maxumè is, qui pertundendus est, locus.

Libræ duntaxat sex effluere lymphæ; nihil fœtentis, ad ignem coagulabilis, ex flavo viridescentis, turbidioris, ac sensim ejusmodi floccos suspensaque filamenta contrahentis, ac si serum, aut lymphâ, in filamenta jam coagulata, in reliquo humore fluctuaret. Alvus, & urina, quæ pigres antea, ac parcæ fuerant, mox liberæ, copiosæque, fluxerunt. Dedi illi libram emulsi cum unciâ syrupi althææ de die, similemque nocte cum unciâ syr. diacodii. Nulla fitis. Appetitus, somnus, pulsus, vires, bona Urinæ plerumque major, quàm assumti liquidi copia; sic ut videretur, liberatis ab aquæ compressione visceribus ouropoieticis, id, quod reliquum



lymphæ, infimo in ventre fuisset, & absorptum, & renibus feliciter excretum fuisse.

Decimâ exindè die, quo restaurarentur omnia, & recidiva averruncaretur, cortex peruvianus ipsi datus, eoque trium septimanarum spatio sic usa puella est, ut decoctum unciaë mediæ corticis assumeret quotidie. Convaluit egregie, ita ut matri brevi restitueretur; ac medio ab illinc elapso anno sese nobis belle valentem stiterit.

Lympham paracentesi eductam, in tribus majoribus vitris servatam, quotidie examinavimus, & necdum putrem eam 4. Febr. die post operationem 15. invenimus. Quin denuò hoc 15. die lympham nitido in cochleari igni exponentes, more feri sanguinis, & sani, & recens educti, in massam scissilem, albuminis ovi instar, coagulariprehendimus. Cum syrupo violarum tamen viridescibat; virore post biduum evanito toto. An signum alkali hæc viridescencia? Flavi colores solent hunc syrupum viridem reddere perpetuò. Sed & serum non, aut vix, flavum, quod quorundam hominum sanguini misso adest, syrupum viridem reddere vidimus. Et ovi albumen, minimè colora-



tum, syrupi viridem reddit colorem. An igitur cuncti humores, animales latens quoddam alkali possiderent, quod syrupus violarum præprimis indicaret? Attamen serum hydropicum. §. 1. hujus capitis syrupi haud mutavit colorem: an hoc, quia paucâ tantummodò parte coagulabile erat? Verùm cur omnis ab hâc miscellâ viros natus, intrâ biduum evanuit? Sed quoque in misturis color, eidem à syrupo hoc conciliatus, brevi mutatur.

Die 12. Febr. qui à paracentesi 23. erat, ipsa hæc lympa, eousque observata, manifestò efferbuit cum aceto. Alia ejus portio ad ignem coagulata fuit: indurescebatque prætereà in scissilem massam glutinosa illa materies, quæ in lymphâ hâc primo diù suspensa, ad fundum denique subsederat. Liquor proindè animalis, qui quiete, in aëre aperto, 23. dierum spatio, & putrefactus, & alkalinus erat, vim adhuc plasticam suam, seu coagulabilem, servat; ubi tamen humores putredine resolvi, ac suâ coagulabilitate privari, vulgo creditur. Doleo me tentamen cum syrupo violarum hoc tempore neglexisse.



§. III. Femina 28. ann. procera, toro-  
fa, venusta, convenit nos die 25. Oc-  
tobr. 1765. enarrans sequentia.

Decennium erat ex quo nupserat.  
Vix nupta autem, dolore, atque ardore  
abdominis immani, cœpit torqueri spa-  
tio nocthemeri; qui morbus ut alvo  
pertinaciter clausa cœptus, ità quoque  
enemate possim solvi solitus est. Quotan-  
nis hucusque idem malum repetivit,  
semper autem ad enema consuetum con-  
ticuit. Quinquennium numerat ex quo  
intumescere cœpit abdomen, paulatim-  
que sibi visum est augescere. Passa quo-  
que totis hisce annis cephalæam gra-  
vem, frequentemque, est. Gravida nun-  
quam fuit. Catameniorum perpetuò or-  
dinatum fluxum habet. Album fluo-  
rem primò sex menses passa, citrà ul-  
lum ardorem, doloremque, postmo-  
dum verò tantùm circà menstruum  
tempus. Mane solet tussire, crassamque  
ejicere, glutinis instar, materiem. Al-  
vus bona. Facies sana, pulchra. Nullus  
unquam crurum pedumque tumor. De-  
cies & octies, dierum novem spatio,  
baadensi balneo usa citrà levamen est;  
nisi quod recuperaverit, quem amise-  
rat, appetitum: attamen angi à pastu



folita, appetitum explere non audet. Non sitit unquam ferè in vitâ suâ. Sedentaria est.

Ex observationibus, quas occasione aliâ §. VI. recensebo, hydropem aut saccatum, aut peculiarem inter peritonæum ac musculos abdominales locatum, suspicari quis posset; sed manifesta fluctuatio arguebat ascitem. Quamobrem remediis in ascite plurimum laudatis, ac potissimum vino, bulbo recenti scillæ, aromatibusque, medicato, morbum debellare ultrâ duos menses annisus, spem aliquandò magnam fovi salutis; verùm malo rursus increfcente, paracentesin suasi; quam cum repudiaret, rem commisit naturæ nec rediit.

Tandem die 29. Julii hujus, quem vivimus, anni, se rursùm stitit, monstruosè tumens, maximè hypogastrico, paracentesin subitura: quam elotis pridie intestinis, die 3. Augusti perfecimus. Ascites enim haud minùs jam, quàm olim, ex fluctuatione manifestus apparuit: quin & nunc raram alvum, ac paucam conquerebatur urinam.

Figura hæc abdominis, monstruosè nunc ad hypochondrium penduli, atque ad media femora descendens,



revocabat nobis in memoriam ventris effigiem, quam *Job van Mekeren*, in *suis Observationibus* dederat, unà cum phænomenis, eorum, quæ femina nostra patiebatur, consimilibus: circa quæ egregius vir *J. B. Morgagni* haud minore cum judicio, quàm experientiâ, commentatus est: circa quæ ipse postmodùm fusiùs disseram.

In paracentesi ægra doluit transeunte instrumento, minùs principio, quàm fine, antequam totus venter esset penetratus.

Aqua lymphida, inodora, non colorata: librarum 54. pondere effluxit; ultimo in vase leviter tincta cruore, eo quod aquam omnem vacuare conati, vulnus utcùmque irritassemus.

Ut omnes, ità hæc femina nullam debilitatem, nullam anxietatem, nullam vultùs mutationem passa est. Quippe causa horum incommodorum prævenitur, hodierno more adaptando machinam aqualiculo, quæ illum totum pro ratione eductæ lymphæ molliter, æquabiliterque, stringat. Et quod omnes passim numerosi flatus ac borborygmi torquent, nostra non est passa, cujus rei mox fortè ratio patebit.

Cùm nunquam sitiret, vix bibit die



libram emulsi , & panadellam in nutrimentum sumfit. Nihilominus sex & ultrà libras urinæ misit. Pulsus , somnus , optimi. Atque ità à principio operationes benè se habens , domum rediit 13. Augusti.

Verùm quemadmodùm prioribus , sic & huic mulieri , corticem peruvianum dare cœpimus jam tertio ab operatione die , mediæ uncix quantitate spatium nucthemeri ; ne scilicèt operationem gangræna sequeretur , ut vires conservarentur , fluida compingerentur , ac demùm adstringerentur , roborarenturque sic solida , ut omnis recidiva ; quoad ejus fieri posset , averruncaretur. An igitur quod ægri nostri tam bellè se se post paracentesin , habeant ; quod quovis pravo symptomate careant ; quodque tam citò ad negotia sua redeant ; corticis peruviani usui magnam partem adscribendum est ?

Lympha asservata in spatioso cubiculo , in quo , ope venti admissi , calor atmosphæræ , foràs calidissimæ vix 70. gradum excederet , ut non in educatione fœtuerat , ità nec toto quatuor dierum spatio fœtorem ullum contraxit : his demùm elapsis sensim fœtere cœpit ; omnium verò primum illa , quæ ulti-



mò educta , sanguinis id pauculum ,  
cujus memini , gerebat. Porro idem ille  
sanguis paucillatim disperebat , atque  
lympham pellucidam relinquebat , mi-  
nimèque coloratam : hæcque iterùm  
lymphæ , corrupta demùm penitùs ,  
exhibuit nobis copiosam arenam , ad  
latera vasis affixam , eodem plane mo-  
do , quo toties in urinis ægrotantium  
contemplamur.

Confirmatur indè lithiasin haud unice  
ab urinâ , verùm etiam ab aliis generari  
humoribus ; mirumque propterea non  
esse , quod quocumque humani corpo-  
ris in loco calculos medici , atque ana-  
tomici , invenirent. Nec minùs capitur  
causa , ob quam ruber noster sanguis  
rubedinem pederentim amittere possit ;  
sic ut demùm pallidus humor , vix colo-  
ratus , in internis palpebris , labiis ,  
internis naribus , totoque ore interno ,  
appareat.

Lymphæ hæc & principio , & post  
quattriduum , & cum demùm fœtebat ,  
in puro cochleari igni imposita in mas-  
sam scissilem coibat. Confirmatur hinc  
observatio §. præcedentis.

Redeamus paulisper ad diagnosin  
nostram , quæ vel cum hydrope ascite  
cysticum , vel hydropem peculiarem ,



peritonæum inter muculosque abdominales, designare videbatur; eoquod in utrâque hâc specie, collectis sententiis NUCKII in *Adenographiâ*, GULLMANNI, tom. 3. *Actor. C. N. Obs.* 105. MAUCHARTI, *Eph. N. C. cent.* 8. *obs.* 14. DRÉLINCURTII, in *Resp. ad Epist. de rec. med. st. LITTRÆI*, *Acad. Sc. Reg. Par.* 1707. plurimumque aliorum auctorem, id evidenter constat, quod mensium naturalis fluor, faciei nativus color, appetitus, vix sitis, crura non tumida, virium integritas, priore saltem tempore, observari soleant: quæ profectò omnia in nostrâ feminâ aderant. Sed dubium brevi solvebatur; ut mox patebit. Eductis paracentesi aquis, venter quidem nobis minùs justo concidisse videbatur, verùm cum machina quæ suppositis hinc indè pulvinarculis, abdomen arctè constringere debebat, conveniens ejusdem impediret examen, nostrum suspendimus eodem tempore iudicium; donec post octiduum, machinâ ablatâ tumor ventris appareret, & quidem cysticus ille, & magnus, & ferè medio in abdomine, sub umbilico sinistrorsùm locatus, quoque corporis situ vario volubilis in



omnem, maximè in sinistram, partem. Sic quidem ut hydropem tum cysticum, tum ascitem, unà in ventre femina gereret; & hoc puncturâ ablato, illum adhuc pateretur.

Hæc data à claris scriptoribus signa hydropis, sive cystici, sive inter musculos abdominales, peritonæumque locati, ea ipsa sunt, quæ magnus *Hippocrates*, diffuso suo textu *Prorrhæ. lib. ij.* ad felicem in hydrope prognosin absolutè requirebat. Eadem signa nostræ ægræ in hydrope & ascite aderant, & cystico. Ascites hinc bonum exitum per paracentesin habebat: sed hydroscysticus, si ex bonis istis signis internoscatur, non sustinet tamen bonam hydropis, quam *Hippocrates* curabilem facilè existimabat, prognosin; utpote quæ seriùs ocyùs in interitum vergat. Neque etiam bona eadem signa bonam sæpè prognosin in eâ hydropis specie formant, quæ peritonæum inter musculosque est: quandoquidem distinctos propè umbilicum tumores crebrò habet, à quibus degenerascentibus ejusmodi hydrops sæpè nascitur, & à quorum malignitate mortem inferre solet. Ergo bona est hæc signa faustam quidem prognosin & in hydrope *arâ saguâ*, & in ascite for-



mate sæpè solent; rarius verò in hydrope cystico, & eo, qui musculos abdominales inter & peritonæum fit.

Mulier nostra, quæ, ut retuli, corticem kinæ mox à principio sumsit, sumere illum ad medium Augustum, summo emolumento, optimusque cum excretionibus, continuavit. Dolore colico tunc, cum modicâ admodum fæcum urinarumque excretionem laborans, purgante aq. lax. Vienn. bis sumto, datusque paregoricis ac mulcentibus, brevi convaluit: ità tamen, ut novi ascitis post hanc colicam principia iterùm animadverti videantur. Ut autem urinæ fluor, qui post hanc ultimam colicam parvus erat, promoveretur, sumsit remedii compositi ex bals. peruviani dr. jß. Vitelli ovi n<sup>o</sup>. 1. & syrupi glycyrrhizæ unc. iij. cochleare parvum omni trihorio: hujus auxilio urinæ laudabilissimæ, cum virium; cunctarumque functionum restitutione, tumorisque decremento, hucusque profuunt.

§. IV. Convenit me in nosocomio femina 33. annos nata, die 26. Nov. 1766. narrans ab ipsâ suâ infantiâ difficiliore respiratione se laborasse; sanam cæterum ac vegetam octo infantes se



feliciter enixam esse, atque lactasse; ita  
 tamen, ut dum infantem octavum la-  
 ctaret, nonnihil sanguinis cum sputis  
 reddidisset. Elapsis autem 15. ab hinc  
 mensibus se passam esse abortum, ac  
 sanguinis octo integris septimanis per-  
 severantem fluxum: quo vix cessante,  
 denuò concepisse se, ventremque in eâ-  
 dem graviditate præter consuetum gra-  
 viditatis morem intumuisse; tussi deindè,  
 ac vomitu, floridique expuitione cruo-  
 ris laboranti sibi, venam tulsam esse;  
 quo effectum, ut sputi sanguinis cessa-  
 ret quidem violentia, sed idem tamen  
 cum glutine nonnunquam adhuc pro-  
 dieret. Nec ventrem solum præter gra-  
 viditatis morem extumuisse, sed tribus  
 ante partum septimanis & crura tumida  
 fieri cœpta. Medio demùm Septembri  
 se peperisse quidem feliciter vix verò  
 ventrem concidisse: octiduo primo in-  
 fantem lactasse se se, monente autem  
 medico, ablactasse. Die à partu octa-  
 vo, more vulgi austriaci, templum se  
 adiisse, recessentibusque brevi viri-  
 bus, & ventrem sic à datâ medicinâ  
 collabi cœpisse, ut jam durum quod-  
 dam in eodem corpus, cum à se se,  
 tum à medico, deprehenderetur: ve-  
 rum triduo post in molem priore duplo



majorem extumuisse abdomen, idque ita pertinaciter, ut nec priora, nec alia selectissima remedia, nec ipsa, quæ diu affuisset diarrhœa, quidquam profuissent. Respirationem laboriosam nunc sibi esse, tussim acrem, noctes insomnes.

Hæc facta ab illâ, maritoque, anamnesi, ad formandam diagnosis, & prognosis, multo non erat labore opus: ex enarratis quippè facile constabat, quemadmodum in casu proximè priori, ascitem, & simul aut cysticum esse hydropem, aut alius generis tumorem; defectu autem bonorum signorum, quæ supra recensuimus, ambiguam valdè esse hydropis utriusque prognosis.

Cùm manifesta perciperetur lymphæ fluctuatio, cùm vita feminæ miseranda, ac ferè intolerabilis esset, viresque palliantem saltem admitterent paracentesin, quin & eandem expeteret ægra; 27. Nov. instituimus illam. Haud ultra 30. libras educere potuimus. His eductis, mox durum corpus, & inæquale, dextro in latere, pone umbilicum, deprehendi. Thermometrum in oblongo vitro lymphæ, mox eductæ, immersum totum, notavit gradus 99.



quos eisdem ipsa mulier paulò ante operationem notaverat.

Lympha educta flava, & limpida, dum & mox à paracentesi, & octiduo post, igni imponeretur, sic disparuit, ut levis modo, ac tenuis, pellicula relinqueretur. Conservabatur omnis lympha in 15. vitris majoribus, quorum in uno alterove subaciduli quid odore advertebatur die 8. die verò 11. quid putridi absque ullâ tamen cum aceto effervescentiâ. Cubiculum in quo servabatur ex lympha gradus caloris 62. 64. perpetuò notabat, nisi fortè semel iterumque paulò vehementiùs accenso fornace.

Urinam, post operationem, paucam semper ægra reddidit; &, contra id, quod cum in nostris urinis sanis, tum in iis febricitantium, quotidie observamus, urinæ ejus, in 12. diem asservatæ omnes, nec mihi, nec mecum examinantibus multis aliis, vel minimum exhibuere fœtoris; quamvis indies magis fuscescerent, sedimen formarent, imò situm quendam, ex priorum dierum saltem, contraherent. Sedimen urinarum quatuor priorum dierum lateri contrito, ut hydropicorum sæpè



sæpè est , simile fuit ; reliquorum autem dierum subflavum.

Quo tempore urinæ sedimen lateri trito simile , eodem tempore febricula adfuit. Cortice actutum tunc dato , & febris cessavit brevi , & sedimen ruffum. Febriculam hanc pulsu , haud verò thermometro , cognovimus : hoc enim perpetuò calorem signavit naturalem.

Flatus post operationem affuere quidem , sed haud molesti. Dolorem à die quarto à lumbis ad inguina tendentem quæsta est.

Quæ præcedentibus , & huic data emulsa sunt. Miscui cum cortice peruviano diuretica : hæc nihil operabantur ; illius verò ope & febris silebat , & renascebatur appetitus , somnusque , & pectus liberum fuit , & cessantibus antiquis tormentis ventris , alvus quater , quinquies quotidie , cum levamine , commodèque , posita fuit ; vires tandem eo creverunt , ut totâ ferè die extrà lectum esse amaret.

Cum omnibus hisce emendationibus , lymphæ die septimo reditum percepimus , ità ut tamen durum corpus , de quo supra , adhuc deprehenderemus.

Itaque duo morbi principes videnter adfuisse : alter pulmo debilis , ac ,



170 R A T I O N I S M E D E N D I  
cum tussi, sæpiùs quid sanguinis sputis  
commisti, semel sanguinem purum flo-  
ridumque, ejiciens: id quod à dia-  
thesi jam infantia, à repetitâ toties gra-  
viditate, partuque; nec minùs à tot  
infantum lactatione, oriri potuisse fa-  
cilè capimus. Alter morbus, ascites;  
quem in graviditate nonâ, à nimiâ per  
abortum hæmorrhagiâ eam reor con-  
traxisse: qui & ipse hydrops ascites,  
utrùm à tumore quopiam præternatu-  
rali cujusquam in ventre visceris origi-  
nem duxerit; an verò præter ascitem  
verus hydrops cysticus adesset, coram  
auditoribus determinare non potui.

Crescente immaniter ventris tumore,  
paracentesin alteram suasi, viribus egre-  
giâ constantibus: maluit verò illa pro-  
prios repetere lares, aptisque ibidem  
medicamentis uti.

Posthac sæpiùs se stitit coram, sta-  
tum exhibitura suum, auxiliumque pe-  
titura: hyeme verò asperiore solus ma-  
ritus venit. Tandem vi morbi victa  
maritum urfit, ut in sellâ gestatoriâ in  
urbem, & nosocomium, se se ferret;  
quò à me examinari, & sive medica-  
mentis, sive alterâ paracentesi, suis le-  
vari miseris posset. Marito id renun-  
cianti præ lethali ejus debilitate dissuasi.



Dies 17. Martii calamitatum finis fuit.

Dies 18. Martii, elapsis 30. à morte horis, cadaver examinaturus accessi, non modicam medicorum ac studiosorum inveniens catervam. A diuturnâ ponderosi corporis decubitu, ab humorum putredine, vitâque diù minimâ, consumserat gangræna lumbos, femora, nates: purpureusque color crura, ventremque, deturpabat.

Tumidissimus sanè ac monstrosus aqualiculus fuit: extantibus cum sterno costarum infimarum cartilaginibus plurimùm extrorsùm. Eratque adhuc itâ tumidus tunc venter, licet non in paracenteseos loco, sed pone illum, facta sponte apertura inveniretur, qua liquor de ventre exstillasset; jamque, moto pauxillùm cadavere, ingenti jactu erumperet.

Spontaneâ hâc aperturâ cultro dilatâ, aqua copiosissima profiliit, eaque limpida, subflava, fœtida admodum. Mensurare eandem, ac ponderare, defectus in his ædibus vasorum, instrumentorumque, vetabat.

Evacuatis illis, animus erat tumoris duri, quem in vitâ toties deprehendebamus, examinare originem, naturamque; verùm nihil ei simile reperi-



mus. Quid ergo mulier, quid nos, dum videbamus ingens ibidem corpus toties deprehendere, reverâ deprehendimus?

Cunctorum intestinorum superficies gangrænosa apparuit. Ipsa verò intestina, in hoc spatiosissimo ventre, spatium haud majus, quàm in parvâ puellâ expleissent occuparunt: aquarum quippè prodigiosa moles intestina omni ex parte in parvam compegerat massam.

Sed antequàm loco quidquam moverimus, obstupescēbamus eam gibbi diaphragmatis altitudinem; quæ thoraci, pro corde pulmonibusque locandis, vix spatium relinqueret. Haud enim, ut sæpè, gibba diaphragmatis pars mammaram æquabat altitudinem, verùm una costa in sinistro latere, duabus costis in dextro, altior fuit: sic ut cor ad jugulum ferè hæreret, diaphragmate æquè altissimo, quo loco ad pericardium connascitur, quàm alibi.

Aqua haud intestina duntaxat, sed & ventriculum, & jecur, & splenem, versùs dorsum compresserat sic, ut ipsa hæc aqua ante omnia hæc compressa viscera, interque eadem & trusas extrorsum infimarum costarum cartilagine, musculos abdominales monstrôsè ex-



panfos, elatumque valdè diaphragma, amplissimum sanè spacium occuparet.

Quamvis brevis adèdè thorax, inferiùs scilicèt plurimum repansus, nihilominùs præ diaphragmatis altitudine jecur totum intrà thoracem delituit; lobo majore dextrum, mediâque parte sinistrum, non dico epigastrii, aut hypochondriorum, verùm ingentis illius cavi, ab elato diaphragmate formati, omninò explens. Vid. *tab. II. fig. IV. lit. H.*

Hepar pallidum totum; & dum discinderetur, non tactu, sed visu apparuit granulofum.

Modicè plena vesicula fellea duriusculi quid intrà se gerere credebatur; percissa autem bilem exhibuit, non spissam modò, sed & grumofam, & ut *Hippocrates* bilem atram depinxerat, faci olei similem.

Splen magnus valdè ab aquâ quoque versùs postica pressus, pro maximâ parte infrà lobum sinistrum jecinoris locatus erat; mollioris ille substantiæ, digitisque in pulvem facilè conterendæ. *lit. G.*

Ventriculus magnus sub conspectum non venit, nisi colo intestino remoto; sic ut obliquè deorsùm tenderet infe-



riore valdè abdominis loco : id quod facilè ibi fieri potuit, ubi ventriculus diaphragma, hîc non elatum, pertransit, œsophago pollicem & ultrà infra diaphragma elongato; ut pluriès in cada-veribus observavimus, & ut clarus vir *Morgagni* haud rarò observavit. *lit. F.*

Colon, cæteraque intestina, in locum, id quod mox monui, longè arctiorem, collecta erant, cunctaque livebant: tenuia parùm, imò solito minùs, expansa; colon verò valdè amplissimum à cæco usque ad plexum in sinistro latere ad C; ubi verò de suo plexu devolvebatur, ad D. angustius inaniusque fuit: nec flexum hepaticum, nec lienarem fecit, at verò sic decurrebat, ut ad A ex cæco intestino oblique ascenderet ad B; indè oblique sinistrorsùm ad C, quo in loco suprà sese reduplicatum erat: emersumque indè ad D, non ad natus lævum abdominis extremum, sed secundùm lumborum spinam deorsùm tendebat, formaturum ad E intestinum rectum.

Boni renes: ureteres solito multò ampliores.

Uterus feminæ, quæ decies pepererat, illo virginum haud major erat, ovaria bona. Monstruosum sanè fac-



cum apertus totus aqualiculus referebat, & moles omnium intestinorum ad sese mutuò compactorum, vix molem intestinorum pueri æquabat. Laminæ percissi crucialiter peritonæi, in latera reflexæ, explebant ferè totam latam valdè tabulam, in quâ cadaver repositum erat; quod, quoad ejus facere potui in figurâ exhibui. Quamobrem eo magis doleo nos, præ vasorum defectu, effluentium aquarum mensuram, quæ omnes fortè fidem superasset, capere non potuisse. *Vide lit. KKKK.* Quæ autem litteris II. notantur, sunt oblongæ ac leves eminentiæ, quæ à retroflexis cum peritonæo integumentis formabantur, formantes quasi latera abdominis.

Atque hucusque diaphragma insolitam suam servabat, quam prius mirati fueramus, altitudinem: dum verò thorax incidebatur, mox idem quâdam veluti vi deprimebatur: quin & albidè valdè pulmones spatiosiore longè locum mox occupabant. An pulmonibus in statum violentum compressione redactis, ea infedit; superfuitque, expandendi se, atque naturalem in molem se ampliandi, potentia?

Numquid atmosphæricus aër, glot-



tide in pulmonem illapsus, mox ab ablatâ externâ pressione, eo usque extendit eundem?

Modica sinistri pulmonis cum pleurâ cohæsiō, dextri nulla; id quod in compressiōe adedò forti, & diuturnâ, vix expectari potuisset.

Paucæ guttulæ rubellæ in toto pericardio.

Cor dextrum primò incisum, congrumato sanguine plenum fuit; lævum quoque, sed dextro minùs.

Hydrops igitur fuit ascites, à nimîâ quidem cruoris in abortu jacturâ ortus, qui unâ cum insequente mox graviditate inchoans, cum graviditate aliquantum, post partum vehementer auctus, remediisq; haud auscultans, paracentesi evacuatus quidem, sed, causâ remanente, renatus fuit. Aqua hæc, paracentesi educta, non plastica, ad ignem ferè evanescens tota in auras, haud tamen putrida, putredinem valdè ferè contraxit; quemadmodum & urinæ, post paracentesin missæ, solito tardiozem contraxere putredinem. Ipsa hæc hæmorrhagia ut causa, quemadmodum vitalem liquorem ità profundit, ut demùm sensorio communi deficere videatur id, quod nervorum prospiciat actionibus; sic



quoque vasa eandem ob causam debilitat; redditque desidia in agendo. Undè humorum tenuium, haud compactorum, pars aquosa per flaccida, desidiaque vasorum oscula, in cavâ corporis effunditur; ibidemque, quod vasa inhalantia ad resorbendum inepta sint, colligitur, ac ventrem explet. Eductis his paracentesi aquis, defuit tamen sanguini id, quod cerebro debuisset dare: mansit flacciditas vasorum, inertiaque talis, ut ne optima quidem cardiaca & replentia, & adstringendo roborantia, apta hisce vitiis reparandis eousque fuerint. Undè mox novus oriretur tumor necesse fuit. Hunc forsitan altera, tertia, compluresque paracenteses, sustulissent; ità ut sic, vel mors procrastinata fuisset, vel etiam, auxiliis aptis solida fors restaurata, inque sua fluida ritè agentia, penitùs hanc hydropis causam delevissent. Jam verò paracentesi neglectâ, aquæ eousque ventrem inundarunt, omniaque impleverunt, ut viscera vitalia ad suam functionem redderentur inepta; ut intestina compressione fierent gangrænosa; ut gangræna etiam à defectu circulationis oborta, corporis extrema corrumperet, & sic denique ægra summis pectoris anxie-



178 RATIONIS MEDENDI  
tatibus, viriumque defectu, suffoca-  
retur.

Supereſt ad duri tumoris, & ab  
ægrâ, & à nobis, toties percepti, ac  
nulla ſui in cadavere veſtigia relinquen-  
tis, examen nos convertamus. Poſſibile  
eſt molis corpora tantæ, ſponte ſcilicèt  
ſuâ, fatiſcere ſic, ut nullæ eorum reli-  
quix, nulla omninò veſtigia, poſt modum  
advertantur?

Ad hanc quæſtionem ut respon-  
deam, hiſtoria enarranda alia eſt; poſt-  
quàm duos hoſce parietes unâ fideiâ  
dealbare conabor.

§. V. Mulier à die 17. Maii, anni  
1757. ad medium ferè annum 1759.  
nos ſæpè convenerat, varia variis con-  
queſta diebus, dolorem autem præci-  
puè, pondusque in medio epigaſtrio  
perpetuum; poſtquàm pluribus antea  
annis eodem in loco non, niſi immi-  
nente menſium fluxu, doluiſſet: pon-  
dus hoc durum ſibi videri, tendi non-  
numquam, volvi, moverique, aliquan-  
dò in duos treſve globulos diviſum ſibi  
viſum eſſe, &c. Gravidam interim fa-  
cta, ultimoque graviditatis tempore  
miſerrimè habens, die 17. Jul. 1759.  
in noſocomio peperit: quâ occaſione  
de morbis gravidarum, parturientium,



puerperarum, atque infantum, publicè egi. Tempore postremo graviditatis, ipso in puerperio, postque idem, dum illam propter infantis incommoda aliquot septimanis in nosocomio detine-remus, hoc de pondere, atque dolore, vix conquesta est. Brevi autem postea, siquidem lactare infantem non posset, cum redeuntibus mensibus periodicum hoc pondus, atque dolor redierunt, & cessantibus tandem, præ annorum quinquaginta ætatem, catameniiis, denuò afflixere perpetui.

Tandem anno 1764, mense Septembri, gravi ex alto in ventrem casu, validam hypogastrii contusionem passa est, enormemque dolorem; ad quem non modò nullum auxilium adhibuit, sed &, ad quem summa, paupertas cogebat, laborem, ligna in quintam contignationem quotidie ferendi, perrexit. Victa demùm morbo, lecto commisit se, alvo ab octiduo carens, quam demùm sale amaro solvisse se ait. Conquerebatur per epigastrium tubera nodosque, veluti concatenatos, initio percepisse se; in hypogastrio autem, quo tempore aut alvum, aut utinam, aut flatus, emissura esset, adeò vehementes dolores expertam esse ut quos



toties enormes passa. erat partus dolores, eosdem longè superarent. Ad hæc omnia tandem universi abdominis tumor accessit. Totoque hoc tempore somnum vix oculis viderat, vix appetiverat, nec nisi urinam paucissimam crudelissimo cum dolore miserat unquam.

Duodecim diebus à lapsu exactis, venit demùm maritus in nosocomium, petiturus auxilium. Vix rem ex illo capiens, palliantia quædam præscripsi, & omnem operam navavi, ut in urbem ad nosocomium deferretur. Die 4. Nov. huc delata est. An motu cæcæ effectum id, ut urinam, quam toto hoc tempore nonnisi guttatim, dolentissimèque reddiderat, copiosam nunc, minúsque dolorificam, ac pleno jactu, ex quo in nosocomium suscepta esset, emitteret?

Ventrem examinavimus actutum. Conspectu ille externo, tactuque, tubera & inæqualitates duras, tympanias in morem, nobis exhibuit; sonitum verò tympanias non dedit, sed obscuram potiùs ascitis fluctuantis ideam. Non sitiebat, nec cruribus tumebat. Itaque ascitis atque tympanitidis suspicio erat; ast dolor tantus, & ante



casum ab alto, & post eundem, perceptus, non solet horum alterutrum aut à principio, aut perpetuò, concomitari; præcipuè ad vesicæ, rectique intestini, excretionem. Anxia quoque pectore perpetuò fuit, nec lecto decumbere unquam, nisi elatione pectore & capite, potuit. Tussis frequens aderat, sputaque glutinosa. Alvus perpetuò dolorifica & dysenterica; flava quidem ac pultiformis, posthac vero tenesmoïdæa, cum mucò non pellucido, sed lineis sanguineis notato, quibus recti successit prolapsus. Frequenter nauseat. Aquarum fluctuatio sensim manifestior fit.

Ex principiis artis de paracentesi hîc cogitandum non erat, sed pro crebri-  
tate ac varietate symptomatum, sæpè  
contraindicantium, agendum. Varia  
dedimus ad ea quæ potissimùm urge-  
rent, iisque solamen multum, instabile  
tamen, conciliavimus. Et cùm in hy-  
dropis curâ tantopere laudaverint cum  
prisca, tum recentiores medici, cly-  
mata urinæ sive ovium, & asinorum,  
ut *Avicenna*; sive vaccarum, ut plu-  
res moderni; sive etiam hominum, (ut  
*Valeriola*; quid lib. 1. obs. 2. » ene-  
ma ex impuberis pueri urinâ para-



» bat, coctâ cum tantillo fermento pa-  
 » nis, feminis carthami, cum melle  
 » despumato, eoquè mirificè hydro-  
 » pem allevari testatur: nullo enim ma-  
 » gis, quàm hoc, detumescere ventrem,  
 » aquosa excerni, & flatuosa discuti,  
 » æger sentiebat: estque hic, *inquit*,  
 » clyster mihi in ejusmodi affectibus fa-  
 » miliaris, atque probatus. « Et in  
*Actes. Acad. Reg. Sc. Paris. anni 1707.*  
 clarus *Lemery* multa de juvencæ urinâ  
 commentatus est, variasque attulit ad  
 hujus usum conditiones. *Michelottus*  
 quoque apud ill. *Morgagni* assererebat  
 » juvencæ urinam sibi feliciter, nec se-  
 » mel, adversus anasarca cessisse. Et  
 ipse *Morgagni*, *Epist. anat. med.* 38.  
 » hanc medicinam animale[m] petenti  
 » ægro concessit, & ore quidem assu-  
 » mendam, quæ principio quandam  
 » ipsi ebrietatem concitavit, sed non,  
 » quam prioribus, utilitatem.

Duo prætereà viri expertissimi extra-  
 nei, hanc nostram ægram invisentes,  
 vaccinæ urinæ enemata sum[m]opere  
 commendabant, pulcherrimis id expe-  
 rimentis edocti. Undè intrâ octiduum  
 quater ejusmodi clyisma injici curavi;  
 sed destiti, cùm nullam evacuationem  
 notabilem promoveret, & singulâ vice



vehementer dolorem auget. An forsitan malum provecius, quàm ut admitteret medelam?

Mense Januario 1765. major, quàm unquàm, ventris tumor, ambitu quidem mollior, in medio verò longè durior, & quidem sic, ut in hoc medio durum corpus inesse perciperetur, quod dextrorsùm sinistrorsùmque extendens sese, in dextro tandem hypochondrio terminabatur. Ardor illum ac dolor comitabantur. Sed jam cum tumore strepitum validum plures medici, ac medicinæ studiosi, mecum integro adverterunt octiduo; quo elapso, ultrà perceptum hujus nihil. Accessit hydrops intercus. Pectore quoque dolens ac ruficulosa toto quidem morbi tempore, circa vitæ verò finem cum maximè fuit. Gangrænam intestini elapsi, eamque natium, lumborum ac scapularum, licèt tribus ultimis vitæ septimanis ægra nunc inscia, nunc involuntaria, lectum putridis fæcibus continuò conspurcasset; nos tamen mutato lecto creberrimè; inungendo bis die cunctas, in quas decumbebat, partes unguento, quod ex albumine ovorum cum spiritu vini paratur; & admoto ad intestinorum prolapsum decocto corticis



184 RATIONIS MEDENDI  
eruviani; feliciter præcavimus. 20.  
Martii obiit.

De morte certi anatomen, transactis sexdecim ab illâ horis, fecimus; mirati externum corporis, internumque viscerum abdominalium calorem; quamvis cadaver mox à morte in frigidâ admodum cavâ depositum fuisset. Doleo me antea non explorasse cadaveris ope thermometri calorem, nec illum, aperto ventre, viscerum: undè fortè detexissemus, quo usque calor, quem sæpiùs ferè naturalem, bihorio post mortem deprehenderamus, etiam hic sexdecis à morte horis cadaveri, saltem visceribus ventris, perseverasset.

Libras xiv. lymphæ ex ventre eduximus, quæ ex albo fusciscebat, ac plures fuscas pseunomeningas gerebat; ubi autem aliquantisper steterat, gelati quid in superficie suâ habebat: In portione libræ quintæ postremò educta, separatis vasis excepta, inerat multum gelati, ei consimilis, quod in educto de venis sanguine, dum in compactam crustam non formatur, semipellucidum, ac sæpè copiosum, contegit crassamentum sanguinis.

Sed pseudomeninx alia nostram mentem figebat. Non enim, ut assolet,



flava erat, sed planè rubra, tenuia, intestina regens, extendens sese suprà colon, ipsumque jecur, quo usque hoc viscus, ut mox patebit, non erat cum vicinis partibus connatum: emittebatque de sese processum, qui ad mesenterii centrum; & alium, qui ad lienem sese affigens, secundùm posticum coli latus in pelvìm descendebat.

Hepar concretum undique cum diaphragmate fursùm, & à posticis, anteriùs cum peritonæo, deindè cum colo, ipsoque cum ventriculo; exceptâ plagâ quâdam in ipsius, nempe jecinoris, dextrâ parte, aliâque sub cartilagine mucronatâ. Concretio hæc fortis, ac membranacea fuit, hinc, vi, illinc non nisi visceris dilaceratione, solvenda. Ruffum jecur erat, totumque granulofum.

Ventriculus ab hepate connato solutus, ad pylorum duos in ambitu pollices durus erat, tuberosus, skirrhosus; hîc tres, ibi quatuor, alio iterum in loco sex lineas crassus.

Coli fûsco-purpureus color.

Ren sinister durus; dexter totâ suâ corticali substantiâ cartilagineus.

In vesiculâ felleâ pauca flava bilis;



& calculus unicus, asper, ferè rotundus.

Uterus exiguæ admodum cavitatis, substantiâ suâ nonnisi durum cartilagineum corpus.

Circa pelvim intestinum colon firmissimâ, ac membranaceâ concretione cum intestino recto coaluerat, & contractum glomerem cum omnibus, quibus adjacebat, partibus, referebat, sic ut hîc omninò immobile hæreret.

Pulmones ambo cum pleurâ, cum diaphragmate, cum pericardio, mediastîno, mutuisque inter sese lobis, firmâ ac membranaceâ concretione, unicum veluti corpus componebant: sinister posticâ parte gangrænosus totus. In unâ aliâve non connatâ plagâ thorax uncias aliquot lymphæ collectas gerebat. Modica in pericardio aqua. Cor suo apice cum pericardio connatum erat ope processûs ferè cartilaginei, tres lineas crassi, digitis non dilacerandi. Cordis dextri substantia tenuis, ac flaccida; sinistri digitum crassa, atque itâ compacta ac solida, ut absolute non videatur contrahi potuisse: massam quippè referebat præ duritie vix flexibilem. Sanguis grumosus in eodem, quàm in dextro, multo copiosior.



Igitur hydropem ascitem invenimus, adeò verò mediocrem, ut ventri admodum extendendo par non fuerit; ità ut alias causas inquirere tanti debeamus tumoris, tantorumque phenomenon, quæ cum in vivâ, tum in denatâ, circâ ventrem animadverterimus.

Ac primo quidem ex totâ historiâ morbi evidens sic ventriculum omnium primum se malè habuisse, & ex obstructione, vel ex rosione acrium lentâ, in enormem hancce crassitiem, perfectumque denique skirrhum degenerasse.

Sed hujus mali sedes propè pylorum inventa est. Notemus hîc. 1<sup>o</sup>. ill. *Hoffmannum* ejus sententiæ fuisse, ut in cardialgiis pylorus & potiùs, & primariò, afficeretur; 2<sup>o</sup>. optimum *Morgagni* censere haud quidem omnes, sed plerasque chronicas ventriculi degeneraciones, exulceraciones, indurationes, atque skirrhos, in eâ ejusdem parte reperiri solere, quæ ponè pylorum est. *Epist. anat. med.* 29. Quare à vero haud alienam esse *Hoffmanni* censet sententiam. Multa quoque nobis suadent duros pendulosque tumores in cadaveribus propè pylorum inventos, plerùmque oriri à laceris, & calloso-



rum ibidem ulcerum membranis, eorumve reliquiis degenerascentibus.

Porro aiebat femina à decennio se in medio epigastrio pati : ac primùm quidem periodicè ad mensium tempora : sic ut benè fluentibus illis, dolore, tumore, pondere, anxietate, flatu, nau-seâ, careret ; mensuris verò propter ætatem cessantibus, se hisce incommodis perpetuò excruciarî. Prava ventriculi conditio principio exigua, atque paulatim duntaxat aucta, ad menstruam plethoram, motumve, potissimùm irritata fuit, eâque solutâ, quievit : at verò malum in dies crescens deficientium catameniorum tulit omne pondus ; eo profectò modo, quo aliis atque aliis feminis, aut caput, aut pectus, aut lumbus, aut intestinum, aut uterus, aut vesica, à cessante motu menstruo potissimùm afficitur. Eamque ob causam, & antequàm illa ad nos veniret, & quamdiù apud nos fuerit, ac præsertim postquam lapsus in ventrem violentus hanc partem graviùs affecerit, dolor haud ultrà periodicus, sed continuus fuerit, oportuit. Atque hæc si sic fiunt, secundùm leges ordinarias secundùm communes fiunt observationes. Quod ideò noto, quia



lege planè extraordinariâ deprehendimus homines nunquàm aut hæc similia, in vitâ esse conquestos, quorum tamen cadavera & has, & his deteriores degenerationes, seu in ventriculo, seu propè eundem, seu in visceribus aliis, dudùm habuisse, pluries demonstravi.

2<sup>o</sup>. Causam aliam capiamus, ob quam mulier dolorem dolentem in medio epigastrio primùm periodicè, tandem continuè, perpeti debuerit. Actionem ventriculi, contenta versùs pylorum promovendi, perturbari magis oportuit magisque, partis hujus in dies augete rigiditate, atque crassitudine, ab accedente primùm plethorâ menstruâ, seu universali, seu saltem uterinâ, postmodum ab eâdem plethorâ jam continuâ. Mirum proindè hoc non est, quod amplificaretur ventriculus, quodque magis induresceret; eo quod contenta in se edulia, potum, acremque, diutiùs longè debuerit retinere, antequàm per eam induratam sui partem, perque arctatum transmittere potuerit pylorum. Nausearum hinc intelligimus, molestorumque statuum, quos conquesta totiès fuit, originem.



3°. Ab ejusdem ventriculi cum je-  
core & colo, cohæſione, actio ejus-  
dem digerens, miscens, movens,  
compingens, atque ad pylorum deter-  
minans, vehementer impedita, expo-  
ſita mox ſymptomata multùm augere  
debut.

4°. Sed cur plures nonnunquam tu-  
mores, catenarim veluti invicem ne-  
xos, loco inſtabiles, & conqueſta illa  
eſt, & nos aliquandò tactu percepi-  
mus?

Tactu, viſuque, tympanitidem sæ-  
pè videre videbamus, eo tantummodo  
deſiderato, qui tympanitidis eſt, ſonitu.  
Sed lymphæ, cum tympanitide præ-  
ſens, ſuique præſentiam fluctuando no-  
tans, an non ſuâ interpoſitione ſuffoca-  
vit ſonitum? credibile. Itaque cùm  
intestinum colon, prout in cadavere  
patuit, ea emetitum ſpatia ſit, in qui-  
bus illi tumores obſervabantur, meritò  
credimus colon hoc sæpè in globos  
tympaniticos, & quidem nunc in me-  
dio ventre ſuperiore, nunc dextrorsùm,  
deorsùmque expansum fuiſſe, ſicque  
concatenatorum globorum perceptio-  
nem creaffe tangentibus: idque proſectò  
eo magis, quo hoc ipſum colon cum



ventriculo & hepate firmiter con-  
natum, hincque suâ in actione plu-  
rimum turbatum.

5° A casu in ventrem gravissimo,  
contusio, & inflammatio ejus coli  
partis, qua in gyros convolutum suprâ  
principium recti inventum fuit, imma-  
nem illum effecit, quem anamnesis re-  
fert, dolorem: & quia inflammata  
pars, quod non perspiret, cum vicinâ  
coalescit, ac fortiter cohæret, actio  
omnium harum partium læsa fuit.  
Indè ea dolorum sævities, quandò  
tantâ vi diaphragmatis, & abdomina-  
lium muscutorum, ad exitum fæcum,  
statum, & urinarum, per coalitas  
hasce partes promovendum, opus erat;  
& quando colon in suâ actione rectum,  
hocque vicissim illud, in expulsione  
suæ materiæ distrahebat, ac vellica-  
bat. Quippè dilaceratione sæpè pro-  
ximas fuisse hasce, mutuò adeò coalit-  
tas, partes, in egerendo necesse est.  
Prætereà externa recti intestini tunica  
cum illâ coli connata cùm esset, inte-  
rior ejusdem tunica cedere impetui de-  
buit, anoque prolabi: undè etiam,  
dum nonnunquam alvus & urina &  
flatus commodius redderentur, intesti-  
num hoc non prolabebatur. Quoad do-



lorem autem in reddendâ urinâ, licet cum ceteris vesica haud coaluisset, actio tamen respirationis ad mingendum necessaria, dum æquè in intestinorum concretorum glomerem pressit, quàm in vesicam, etiam mictus creavit dolorem.

6°. Undenam strepitus ille, quem tangendo toties; primùm ad coli principium, deindè paulò elevatiùs; idque non externè, sed profundius in abdomine; clarè percepimus?

Strepitum ejusmodi rarò, nisi ab aëre in crassâ alicubi materie, aut in cellulositate, diffuso, percipere solemus; non enim memini me aut proprio experimento, aut lectis didicisse auctoribus, aëra in cavo intestino tympanico, aliove cavo majore, strepitum edidisse: non enim strepitum vocamus borborygmorem murmur. Undè credibile est emphyzema tunc temporis inter varias intestini membranas adfuisse; idque vel ideò à morte non paruisse, quod diù ante mortem cessante strepitu, intestinorum membranæ, abeunte aëre, iterùm collapsæ essent, & sic ne aëris quidem vestigia servare poterint.

7°. Quid de mirâ illâ pseudomeninge cogitandum?

Si



Si revocemus nobis in memoriam, quo pacto omnes illæ pseudomeninges, à transpresso sero sanguinis visceribus atque membranis circumfusæ, nascantur, haud multum laboris hæc explicatio habebit. Notavi suo loco in lymphâ, ventre eductâ, gelatam materiem, eamque copiosam, apparuisse: videtur proindè ex arteriis viscerum abdominalium exhalantibus multa materies, ejus, quæ aliàs crustam inflammatoriam facit, simillima, exhalasse; visceribus autem pro more minime concrevisse, quod aqua undique alluens, concretionem ad viscerum superficies prohiberet. Igitur exhalans hoc inflammatorium serum in lymphâ fluitavit; eodemque modo, quo eadem lympa in vitris nostris quiescendo collectum hoc serum exhibebat, etiam idem serum, in virâ feminae in aquâ fluitans, videtur in diuturnodecubitu fundum lymphæ petiisse, visceribus incubuisse, & sic pseudomeningem illam cum omnibus suis processibus genuisse.

Regeres cum pseudomeningibus ad viscera, membranasque adnatis, non inveniri commistum cruorem; adeoque, quæ data fuerit, solutionem, non satisfacere: respondeo quemadmodum visce-



rum exhalantia vasa, ut pro rore serum sanguinis inflammatorum transsudent, multum dilatentur sit necesse; ita eadem, gradu dilatationis uno majoris, globulos sanguineos transmittere: qua unica ratione explicatur quoque sudor sanguineus, quo nonnulli in plena sanitate ad axillas laborent, & quo quosdam à metu ingenti, hosque inter sanctimoniam, ab invadente milite stuprum metuentem, toto corpore perfusos fuisse; historia refert. Vide *Schenkium*, aliosque. An non peripneumonicorum, pleuriticorumque sputa, lineis sanguineis notata, eodem modo explicari queant? Unde nequam miror amplæ huic pseudomeningi tantam adfuisse cum flavo rubedinem.

Instabis ultra consideratione mulieris temperamenti, quod à tot tantisque chronicis ærumnis in hydropem quidem conversum, à statu autem inflammatorio alienissimum fuerit. Sed refero in majoribus obstructionibus, viscerumque compressionibus, sanguinem liberis in vasis comprimi, densari, compingi, disponique ad inflammationem; qualem inflammationem videre quandoque est in sanguine hydropicorum, qui vel secta imprudenter venam, vel narium



profunditur fluxu; vel ventriculo, pulmonibusve, eructatur.

Confirmavit hanc experientiam meam ipsa hæc nostra mulier; dum, nonâ & octavâ septimanâ ante mortem, ab ingente febre, eâdemque continuâ, & ab intolerabili anxietate, præsentissimo in mortis periculo versans, nec alio sublevanda auxilio, ternâ sanguinis missione modicâ ab interitu veluti resurgeret. Sanguis enim singulâ missione crassè compactus, crustam nobis exhibuit duram admodum, ac flavam, valdeque contractam. Tandem sputa, quovis die, pluribus ante interitum septimanis, nonnunquam partim, nonnunquam tota quanta puriformia, absque ullis pulmonum vomicis, tuberculisque, inventis, hanc perennem diathesin sanguinis inflammatoriam ostendunt, evincunt. Verbo, membranas densas, ac flavas, serò coagulabili inflammato genitas, haud seciùs eorum in cadaveribus invenimus, quos lenti, quàm quos acuti morbi, sustulerint.

Attentionem autem nostram excitat sputorum, alvi, atque urinæ, pluribus ante obitum septimanis, quotidiana coctio, ac veluti critica evacuatio; dum interim, in pejus habente de die in



diem ægra, cunctæ hæ evacuationes veræ coctionis, criseosque, notis caruerint. Profectò in morbis acutis, atque in inflammatoriis, hæc κρίσιμα μὴ κρινόντα, ut ea Galenus vocabat, ne tuta crederemus, toties nos monuit Hippocrates, nisi reliqua bona signa unà adessent. Videtur autem sic cum hâc re comparatum esse: inflammatoria sanguinis diathesis, nata à morbo acuto, morbo coquitur, vinciturque sic, ut ultrâ non adsit. Diathesis eadem nonnullis sanis naturalis, morbo acuto aucta, vi acuti morbi eatenus aut resolvitur, aut criticè expellitur, ut id, quod ab acuto morbo antiquæ diathesi adjectum fuerat, deleatur; eâ ejus portione superstite, quâcum olim in ἰδιόσυνεστάσις tali affuerat sanitas. Nata tandem in corpore eadem diathesis tota præternaturalis, sed itâ abundans, ut, quantumvis sputorum, aliarumve excretionum, ope evacuetur, nihiloscius inexhausta persistat; nihil emendationis affert, & demùm corpus pessumdat. Exemplis pluribus Ratio medendi hoc demonstravit.

Atque itâ problemati §. proximè præcedentis, cui post relatam hanc morbi, atque anatomes, historiam, res-



ponsum distuleram, abundè me respondisse reor. Causa nimirùm intelligitur, cur tumores, iique & majores, & plures, ità disparere suapte sponte, queant, ut postliminio sive in vitâ multos annos sana, sive etiam perpetuante se morbo, sive denique in denatis corporibus, nullum sui vestigium exhibeant. Unaque ex hisce liquet, haudquaquam omnem esse insanabilem tympaniam; quandoquidem in utrâque hâc ægrâ, in utriusque miserabili, brevique perituro corporis tabernaculo, sponte concidit.

§. VI. Anno 1765. medio Augusto, puellam 16. annorum examinavi, torosam, optimi coloris, ritè menstruantem; quæ ab aliquot retrò mensibus, in plenâ sanitate, paulatim tumefieri orsa; plurimùm jam tumebat. Tumentis abdominis expansio inæqualis tympanitidem quidem referebat; ast, qui tympanitidis indicium est, sonitus deficiebat. Desiderabatur quoque ea, quæ hydropem ascitem designare solet, fluctuatio. Tribus postmodum medicis, præclaris in arte viris, mihi que, puellæ repetentibus examen, obscurior quædam animadversa fluctuatio est. Dixi hydrops si sit, eum cysticum esse; quam diagnosin dudùm ex



ejusmodi ægris, quorum cadavera postmodum incideram, didici; quamque postmodum à cl. *Morgagni*, *Epist. anat. med.* §. 67. 38. 68. 69. 70. 71. multiplici observatione confirmari vidi. Nul- lum enim hîc dubium, utrum cysticus esset hydrops, si reverâ hydrops esset, an verò illa hydropis rarioris species, quæ inter abdominis musculos, atque perito- næum fit: ut seq. §. §. clarè patebit.

Fluctuatione manifestiore in dies per- ceptâ, paracentesis decreta in consilio fuit, ac die 29. Augusti instituta, sini- stro in latere, in sacci cujusdam majo- ris veluti fundo: dixi enim suprâ, ventrem inæquali extensione loca emi- nentiora, ac depressiora exhibuisse.

Prodiit aquæ fuscæ, turbidæ, non fœtentis, copia mensurarum quinque, viginti librarum medicarum. Nihil ul- trà educi potuit. Neque subsedisse venter nobis visus est. Nullus unquam fœtor in singulæ paracenteseos lym- phâ, spatio 24 horarum conservatâ, observatus est.

Die 1. Septembris similem copiam ex prominente loco lateris dextri eduxi- mus: inodora lympa fuit, sed mi- nime turbida.

Finiente Septembri in sinistri late-



ris prominentiâ facta paracentesis, haud ultrâ tres mensuras evacuare potuit aquæ turbidæ valdè, inodoræ.

Cùm altero die epigastrium universum vehementer turgescere deprehenderetur; quamvis visu, tactuque, communicare inter sese utriusque lateris aquæ viderentur; instituta quarta paracentesis est in dextro latere, paulò altiùs, plùsque versùs lineam albam, quàm antea. Educere non potuimus plusquàm tres lymphæ inodoræ, pellucidissimæ, ac straminei coloris, mensuras.

Iteratâ sic quater operatione, lymphæ dextro de latere semper lymphidæ, de sinistro perpetuò turbidæ, libræ 64. cum aliquâ confidentiâ ventris evacuatæ sunt. Color interim, vires, appetitusque, boni.

Sensim tamen urina inquietudinem pariebat. Toto tempore morbi in Septembrim usque, urina copiâ debitâ, conditione sana, reddita erat; jamque cùm dato vino scillitico & longè profusior urina prodiret, & longè prominentius abdomen redderetur, conclusimus diuretica attenuando & ad renes determinando agentia, in hydropicas cystides, veluti legibus vix ultrâ sub-



jectas circulationis, non agere ultrà; agere in humores corporis sanos, in quos solos agere non debuissent: valedicendum itaque esse hisce, quæ quo operantur potentiùs, eo plus, humores dissolvendo, augent hydropem. Neglectus hujus observationis innumeros ægros ante diem, humano more loquendo, perdidit.

Dixi mox cystides hydropicas legibus circulationis vix ultrà subjectas esse; aliquem tamen locum adhuc superesse, undè sanies, ichorve, intrà sanguinem absorberetur, urina indicavit: hæc enim Septembri mense, eoque ferè integro, turbida fuit, ac crassâ, opacâ, ex albo quandòque leviter subcærulescente pelliculâ tegebatur, sedimentumque deponebat fureum: medio autem Septembri fœtor, isque ingens sæpè adjunxit sese; ità ut urina quo missa momento erat, cum aceto effervesceret. Quâ de causâ conclusum est corpus potu *limonada* dicto, quem ægra vehementer amabat, implere; kinamque porrigere.

Parciori corticis dosi minime auscultans fœtor, tandem mense Octobri liberaliori ejus dosi disparuit omnis.

Interea totus venter tumidior fit,



absque ullâ , hucusque imminutâ ventriculi , pectoris , viriumque integritate. Vide hîc iterùm *Epist.* 38. *morgagnianam.*

Ventre igitur longè tumidiore , ex sacco eminentiore lateris dextri eductæ sunt undecim libræ aquæ limpidaæ , atque inodoræ : biduoque post de lævo latere aquæ fuscæ & turbidaæ libræ quatuordecim. Posterioris paracenteseos hujus vitrum priùs nonnihil fœtebat , reliqua minime. Ventre æquè turgescente , puella omnes functiones comedendo , respirando , gradiendo , optimè perficere pergebat.

Die 4. Jan. 1766. in consilio decretum fuit septimam instituere paracentesin , in eoque eorum opinio prævaluit ut , lymphâ eductâ , saccus injectione aquæ hordei mellitæ elueretur , & ab adhærente ad ejusdem parietes muco vel sanie detergeretur ; ut optimis parisiensibus chirurgis moris esse *tomus secundus Acad. R. Ch.* fidem facit. Utque etiam cannula benè adaptata , & firmata , quâ lymphæ & mucus jugiter exstillare posset , in vulnere maneret. Hoc ipso die hæc omnia tentabantur : quin & vacuo siphone



202 RATIONIS MEDENDI  
aërem sæpiùs ex vacuo aquis sacco  
extrahere tentatum est.

At verò , quod ab illis , qui non  
abiverant in hanc sententiam , prævi-  
sum erat , ilicò contigit. Elapso scili-  
cèt trihorio dolor ingens oboriebatur ,  
ac febris valida. Hinc protinùseducta  
cannula est. Febrimque , quæ perse-  
verabat , deindè cortice peruviano ,  
qui unà posset metuendæ gangrænæ  
prospicere , abigere conabamur.

Die 4. Jan. Ventre ubique , ac su-  
periùs maximè ; turgente , octava  
paracentesis facta est sinistri lateris ;  
quâ non plus tribus libris turbidæ ,  
multùmque mucaginosa materia , educi  
potuit. Tentata iterùm sacci deterfio ,  
aërisqueeductio.

Ex septimâ autem paracentesi dolor  
ventris , febrisque continua remittens ,  
ægrotam perpetuò vexarunt , quamvis  
continuò kinâ uteretur. Paucas urinas  
minxit , easque cum copioso ruffo , ru-  
brove , sedimento ; appetitu planè de-  
stituta , noctes insomnes , anxiasque  
transfigens , quantumvis paregoricis usa ,  
& inexplebiliter sitiens. Ità ut , febre ,  
bis ad decimam matutinam , tertio die  
ad meridiem , cum horrore , ac vomiti-



turitione, ingravescente, demùm die 27 Jan. piam animam creatori redderet.

Elapsis 24. horis, cadaver aperuimus. Inducto instrumento per cicatricem paracenteseos, aut propè illam, materiem partim purulentam, partim glutinosam, eduximus. Aperientes hunc sinistri hypogastrii saccum secundùm ejus longitudinem, deprehendimus eundem omni ex parte liberum, præterquàm ad peritonæum, quocum vagis, fortibusque fibris, cohærebat. Quibus fibris, ut & iis aliorum saccorum, dissolutis, universum abdomen denudavimus, quo conspectui omnia pate-  
rent.

Sed turbatum parumper examen fuit. Quo expeditior anatome fieret, abdomen chirurgi perforaverant, ut eductis aquis mox paterent contenta ventris. Animus autem mihi fuerat accuratè explorare, utrùm hydrops cysticus solus, an quoque ascites adesset? quod haud ineptè quis ex aquâ limpida, quam ex dextro latere semper eduxeramus, suspicari posset. Jam verò elabente ex sacco pertuso aquâ, corpore simul in latus, anterioraque, re-



clinato , incertum planè fuit , utrùm aqua , quæ paracentesi cadaveris prodierat , effluxisset per cannulam omnis ; an verò etiam saccum inter peritonæumque , quocum sacci laxè tantùm cohærebant , furtim sese insinuasset. Impediebamur indè quoque examinare num injectio detergens non etiam parte sui effusâ in ventrem esset.

Peritonæo. toto usque ad margines costarum ablato , nihil ab imâ pelvi , ad diaphragma usque , excepto eo , quod primo intuitu credebatur hepar esse , nisi unicus , ast tumore vario inæqualis saccus , ventrem videbatur explere : quæ inæqualitatès in vivente nobis veluti totidem sacci esse appa-ruerant : videbaturque totus ille , ingensque saccus , suam ducere ab uno hepate originem.

At verò propiùs omnia intuiti , re-  
periebamus rem longè alio modo se  
habere : hepar nempè intrâ costas de-  
litescere totum ; quodque hepar credi-  
deramus , esse peculiarem sacci tumo-  
rem.

Saccus porrò qui , ut suprâ relatum ,  
vagus pro ductionibus , potissimùm propè  
umbilicum , paulòque altiùs , cum pe-



ritonæo concreverat, latâ valdè basi versùs pelvim cohærebat cum uterino systemate.

Undè saccum universum cum utero, tubis, ovariis, è ventre solvimus. Apparuit tunc evidenter adhæisionis sacci principium ad mediam fundi uteri partem inchoare, cohærere deindè cum mesenterio, cum peritonæo ad ossa pubis, ad musculum psoam & iliacum internum, ad nervum, vasoque cruralia; terminari tandem digito lato à dictis musculis, dextrorsùm.

Uteri collum oblongum admodùm; sinistra ejus cavitas naturalis capacitatis; dextrâ in parte, concretis parietibus cavitas nulla: quam ob rem nec ibi vestigia tubæ. Sed neque sinistro in latere, ubi uterus ceterùm naturaliter se habebat, tuba patebat.

Ovarium sinistrum naturali duplo majus, cartilagineum, scabrum, skirrhosum, unâ denique insigniore pluribusque exilioribus hydatidibus, plenum.

De tubâ dextrâ totâ, deque dextro ovario, nulla vestigia: lata modo membrana à medio uteri fundo ad inguin sese fortiter affigebat.

Porro crassa hæc membrana tres qua-



tuorve latos digitos lata, à fundo uteri & inguine adscendens, mox expandebatur in saccum inæqualem, tuberosum, integrum abdomen replens, atque inferiore sui parte extuberante universam quoque pelvim explens, protuberantiâ suâ inferiore obvelans crassam illam, undè originem ducebat, membranam.

Veri simile itaque sit, ipsum ovarium dextrum in hunc immanem saccum degenerasse: cujusmodi ovarii degeneraciones superioribus in tomis retuli complures; maximè *part. V. cap. II. §. III.* ubi eodem modò, quàm hîc, ovarii saccus accumbendo cum utero concreescens, æquè latam in origine basim referebat.

Saccus ipse hîc lineam, ibi duas, alibi digitum, pollicemque crassus, hinc indè mollis, nonnullis in locis cartilagineus, in aliis skirrhosus, in tria potissimùm tubera dispescebatur, quorum sinistrum maximum erat; inferius, minus; dextrum, minimum, sed omnium solidissimum; quâ de causâ, uti etiam ob figuram situmque, principio nobis imposuerat ac si hepar esset, à quo saccus ipse nasceretur: color autem eo hepatis albidior,



ipsumque demùm altiùs inventum hep-  
par, revelarunt errorem.

Notavi suprà chirurgos ante adven-  
tum meum pungendo ventrem, ma-  
gnam contenti in eo liquidi copiam  
profudisse. Quamobrem non potui in  
sacco tali loculamentum invenire, ex  
quo 20 libras aquæ unicâ vice eduxera-  
mus; collapsa enim omnia erant. Ne-  
que in dextri lateris civitatibus eam  
limpidam lympham reperi, cujusmodi  
olim in singulâ evacuatione prodierat.  
Fortè tempore postremo limpidam haud  
ampliùs, sed turbidam, sed mucagino-  
sam, dexter hic saccus continuit aquam;  
vel fortè, ut suprà innui, limpida illa  
aqua ascitica fuit.

Ipse saccus, qui hucusque nobis in  
tres divisus apparuerat, hoc modo se  
habuit: quocunque in loco incidere-  
tur, membranaceis sepimentis in va-  
ria variæ amplitudinis loculamenta,  
divisus erat. Loculamentorum horum  
majora, tubercula continebant quæ aut  
skirrhos inæquales, politasve cartila-  
gines, referrent; aut hîc aquam, ibi  
pus, alibi mucaginem, continerent.  
Pus enim, mucusve tenax, aut aqua,  
cavitates omnes sive majores, sive mi-  
nores explebat. Singularis autem ni-



gredo, seu ex atro profundè fuscescens color, majoribus inerat cavitatibus, haud à gangrænâ, sed eo modo ubique apparens, uti ille, qui in oculo retinam, uveam, ciliaresque processus convestit.

Itaque ovarium dextrum, paulatim degenerascens, in tantæ molis saccum excreverat, ovulaque cum calycibus suis in tot loculamenta mutata erant. Hæc porrò ovula skirrhosa, cartilaginea, hydatica, facta sic erant in hoc monstroso ovario, quemadmodum mutata reperiebantur proportione minore, (*en miniature*) in ovario sinistro: perindè ac ovarium sinistrum, in suâ parvitate, veluti paototypon esset monstrofi ovarii dextri.

Membrana autem facci universi, membranæ cunctorum loculamentorum, tumorumque rubris vasis, iisque permultis, scatebant; diametro auctis cum ovarii incremento. Non referebant ergo hydaticas membranas, quæ vasis carentes, coagulato albumini ovi, in planum effuso, similes, & æquè lacerabiles, esse solent. *Vid. part. 7. cap. 3.*

His patienter lustratis, ad contemplanda reliqua viscera nos converte-



bamus. Hepar jam dixi sic intrà costas deliruisse, ut certo sensu pateret haud errasse *Hippocratem*, hepar visceribus annumerando thoracis. Per magnum autem ità erat, ut lobo majore cavum dextrum à marginibus costarum inferiorum, ad altitudinem costæ octavæ, numero ab inferioribus inito, partemque cavi sinistri, expleret; minore verò lobo hypochondrium sinistrum ad arcum costarum usque, occuparet. Bilem vesicula copiosam satis, probèque tinctam, continebat.

Sub lobo minore jecoris ventriculus, integræ manus magnitudine, à sacco duro complicabatur, ut modicâ tantùm cavitate gauderet. Postque, & sub eodem, lien non magnus, spinæ dorsi, quàm arcui costarum, proximior. Lienem hoc loco sæpè inveni: ut dolores tumoresque lateris sinistri externo tactu patentes, perceptivè, sæpè perversè lieni adscribantur.

Intestina omnia ab incumbente sacco compressa valdè. Colon ab origine arctum, parvis scybalis plenum, sinistro in hypochondrio ante ventriculum triplo ampliùs, denuò valdè contractum inferiora patebat. Nulli in intestinis vermes.



Cor cum pericardio bonum. Nunquam vidi pericardii extimam membranam pluribus majoribusque scatentem vasis. Cor sinistrum grumosi sanguinis multum, dextrum plurimum habuit.

Pulmo dexter omni ex parte à pleurâ liber : sinister undique membranaceis productionibus, haud facile dilacerandis, cum pleurâ connascebatur.

Itaque vidimus puellam tantis cum malis, vultu, oculis, viribus, respiratione, appetitu, catameniis, optima sanitatis indicia præbuisse, ad paracentesin septimam usque. Clariss. *Bionchi*, taurinensis professor, ejusmodi in morbis bilem scripserat aut nullam esse, aut aquosam inertemque. Hic non ita; nec ita in pluribus hydropicorum cadaveribus deprehendi; ut saltem viri clarissimi non sit universalis observatio. An bona puellæ bilis ad tantam tot functionum contulit præstantiam? Plausibile hoc foret, nisi prioribus hujus operis partibus cum bonâ copiosâque bile, has functiones languidissimas esse deprehendissemus. Vide de his plura, *part. 4, cap. 3. à pag. 95, ad 100.*

Familiaire est in feminis, quæ peperere, systema uteri universum hujusmodi morbis affici : incommoda gra-



viditatis, inflammationes à difficili partu, à lochiis retentis, generare talia solent; sed in innuptis, in honestis, castisque puellis, rariora longè deprehenduntur: fieri tamen quoque in hisce, & præfenti exemplo, & aliis in parte hujus operis sextâ, pag. 27. & seq. relatis, constat.

Vermium symptomata in vitâ passa puella non est: vermem unicum in morbo excrevit, postea nullum; quod, propter conspecta, & accuratè examinata à medico excrementa; certò novimus: nec vermis ullus in cadavere reperiendus fuit. Exemplum sic haberetur solitarii lumbrici teretis, ut datur tænia solitaria. At verò ut teretium rarò solitarium esse numerum novimus, itâ & tæniarum non solitariarum, sed complurium, exempla nobis ex variis auctoribus collegit. ill. *L. B. van Swieten* (tom. 4. com. cap. de morb. infant). & in cane auditoribus meis illos numero xij. demonstravi. Et proferam deindè historiam integrarum tæniarum numero octodecim, quas femina emittit, necdùm à symptomatibus vermium immunis; imò adhuc particulas tæniæ excernens.

Sed putridum urinarum, verumque



earundem alkali, quâ cretum origine, quâ arte ablatum est? Putrida materies ex facci plagâ quâdam resorpta intrâ sanguinem, olim mox à bonâ naturâ ad renes demandabatur: itâ ut sanguis continuò se per renes expurgeret ab eo, quod esset resorptum. Hinc eodem tempore appetitus, vires mentes, somnus motus, veluti illibatæ sanitatis. Præstitisset nihilominùs putridam non adfuisse fomitem, qui metum perpetuum incuteret, ne, auctâ eâ, penitus corrumperentur dissolverenturque humores. Interim corticis kinæ requisita dosis, unâ cum acido potu, videtur progressum corruptionis stitisse, eandemque jam factam minuisse sic, ut posthâc multa de se signa præbere, nisi vitâ ad metam properante non potuerit. Egregia exempla nosocomium vidit putredinis humorum in maculis rubris, purpureisque, cutis; & in mictu cruento malignorum morborum; quam feliciter stiterit, cortex. Videtur sanè in hâc morborum malignitate putridum omne ex ignoto fomite sic à sanguine versùs cutem, renesve, determinari, ut primo saltem tempore, humores universo corrumpere nequeat: ne autem corrompat demùm, medici



PARS UNDECIMA. CAP. IV. 21;  
peruviano cortice prævertere con-  
nuntur.

§. VII. Longus fui, sed longus esse debui, in referendâ varii hydropis historiâ; morbi quippè formidolosi, ac toties eò citiùs lethiferi, quò studio- siùs eidem medicari fueris annisus. Equidem ego in eodem pertractando semper multus, communemque olim praxin secutus, in specie morbi quâcun- que, quibuslibet selectioribus reme- diis, & si mitiora haud opitularentur, generosioribus, aquas pellere conatus sum: hoc verò incassum tentato, ad paracentesin, ægris si vires necdùm confractæ essent, tandem confugi. Quin etiam ipsam hanc paracentesin, etsi hominem non curaret, nihiloseciùs lau- dabam, ut quæ aliàs imminentem brevi interitum procrastinaret. Nunc verò in praxi me quodammodo consenescentem, ipsoque propterea usu rerum tutiora edoctum, palinodiam canere, ac vul- gari praxi renunciare, monet, jubet, urgetque, proximi salus. Porro ut hu- jus mutatæ sententiæ rationes expo- nam, necesse erit omnes hydropis spe- cies, seorsim singulas, suo in ortu, suo in progressu, suo denique in fine, ma- surè examinare,



Quinque hydropis species enumerare medicina solet. Primam hydropem intercutem, quem & *ἀνὰ σάρκα* vocant: secundam, hydropem asciten: tertiam peritonæalem: quartam, cysticum seu saccatum: quintam, tympanitidem.

*Prima species*, hydrops intercus, qui aquam, aliquandò gelatam materiem, imò & nonnunquam quid aërei intermistum habet, cum consuetis artis auxiliis semper tractandus sit, nos hîc morari non debet.

*Altera species*, ascites, nos aliquantisper detineat oportet. Aquarum moles est, in ventris, seu peritonæi, cavo collecta. Hanc adesse novimus, causarum præcedentium primò gnari, hæmorrhagiæ: potuum aquosorum ingluviei; spirituum abusus; colicæ Pictorum; acutorum morborum malè curatorum, aut non ritè judicatorum; febrium intermittentium, similiter se habentium; urinæ parcioris, non ductis excretionibus aliis; coloris, oculorumque, à priore statu sano mutationis, chloroseos; &c. si deindè cum hisce tumor in hypogastrio, & ad ilia; si à venarum iliacarum indè natâ compressione non nullus observatur crurum tumor; si variato corporis situ fluctuatio-



nem quandam observat æger; si moles corporis sensim indè crescit; si vires, si vultus, si appetitus, si urinæ excretio, si mensium in feminis profluvium, quocunque modo vitiantur, ascitem agnoscimus.

Si semper hi ascitici se nobis principio examinandos sisterent, morbum paulò faciliùs sæpè agnosceremus, nascentemque feliciùs, atque crebriùs, persanaremus. Cùm verò annosi, atque inveterati, sæpè nos primùm adeant, ferè immemores modi, quo cœptus morbus, quo cretus fuerit, minùs perfectò certam, minùsque tutam formare diagnosin possumus.

2<sup>o</sup>. Si jam venter primo examine distentior est, frustra sæpè expectamus fluctuationem, ascitis testem: advertit jam *Duverney junior* hïc, veluti in vesicâ aquâ distentâ nimis, fluctuationem non percipi.

3<sup>o</sup>. Idem clarus auctor, & si quis unquàm, in diagnosi hydropis cujuscumque sagax, & exercitatus, pro suo, quo erat, candore fatetur, se aliquoties in diagnosi deceptum fuisse, dum fluctuationem percepisse se ratus, nullam in cadavere aquam, verùm inte-



stina mucos & aëre plena, deprehenderet.

4°. *Sydenhamus*, in suo *de hydrope tractatu*, testatur nobis & ascitem adesse suis ex signis creditum fuisse, & vel meras excrescentias carnosas, vel flatus adfuisse, qui mentirentur ascitem.

5°. *Sepulcreti T. Boneti tomus alter* plurima nobis exhibet variorum exempla morborum, quos exercitati etiam medici falso salutassent asciticos; ipsiusque graviditatis: quam ego quoque à celebrioribus artis antistitibus pro ascite eousque tractatam vidi, donec in lucem prodiret vivus hydrops.

6°. *Refert. Acad. Reg. Sc. Par. 1732.* & hydropem salutatum quendam ventris tumentis morbum fuisse, & institutam quater, licet nullus unquam humor prodiret, paracentesi: tumore interim universo à rene sinistro 35 librarum pondere gallico, & pauca aqua, quæ fluctuationis sensu medicis imposuerat, oriundo. Similem utcumque historiam renis prioribus in partibus retuli.

*Tertia hydropis species* ea est, quæ inter peritonæum, & abdominales musculos colligitur; & *hydropis peritonæalis* nomine



nomine venit. Hujus signa diagnostica minùs evidentia esse apparent, quàm vulgò credunt, & statuunt.

Egregius *Littreus*, cui in hisce, aliisque, multa debemus, regulas quasdam *Ac. R. Sc. Par. an. 1707.* condidit, quò fiamus præsentia hujus morbi certiores. 1<sup>o</sup>. *Si hydropis hæc species non nisi plurium annorum spatio (plusieurs années) formata fuerit, & progressum, maximè in initio, lentissimum fecerit.*

Sed & cystici hydropis lentissimum incrementum quandòque est. *Mulier, §. III. hujus ejusdem capituli*, quinquennium numerabat, ex quo intumescere cœpit abdomen, paulatimque sibi augescere visum fuit. Constitit autem manifestò eandem non peritonæali, sed cystico laborasse hydrope: è contrario *Chomel, Acad. R. Sc. P. anni 1707.* peritonæalem hydropem puerperæ refert, intrà quindecim dies, à suo principio numeratos, itâ crevisse, ut venter æquè jam esset, quàm ante partum, tumidus. Ergò regula fallit, cùm idem lentoris incrementum morbi & in quartâ ejus specie obtineat, & ipsum hoc signum in eâdem specie desit.

2<sup>o</sup>. *Si & circumscriptus tumor est,*



*& tumoris figura mutato corporis situ vix mutetur. Camerarius pater tamen, & Drelincurtius, & alii complures, tumorem circumscriptum, acuminatum, divisumque, suis in ægris non invenerunt, sed ventrem æqualiter tumidum. Præterea ovarii cysticus hydrops, dum ventrem nondum integrum mole sua explet, circumscripti tumoris externi figuram habet, tactuque percipitur circumscriptus: quod si simul peritonæo accreverit, ut pluriès vidi, situ corporis mutato, non ipse mutatur. Ergo & hoc alterum signum hydropis peritonæalis fallit.*

3°. *Littræus vult ut in conscripto tumore fluctuatio; extrà limites verò ejusdem nulla perceptio fluctuationis sit.*

Attamen *Nuck, Hochstetter, Camerarius pater*, negant omnem peritonæalis hydropis fluctuationem; saltem *Nuckius* absentiam fluctuationis inter bona signa connumerat.

4°. *Si crura aliæve corporis partes non extumescant, nisi provecto jam multum morbo. Quamquam plures ità censeant, dico tamen primò Gahrlipii feminam ab initio tumidis extitisse cruribus: secundò, saltem hanc tertiam speciem à subsequente quartâ non dis-*



PARS UNDECIMA. CAP. IV. 219  
criminari, in quâ idem signum habe-  
tur.

5°. *Si præter ponderis molestiam vix  
quid incommodi toleret agrotans. Pari-  
ter, ut ad præcedens, respondeo, &  
Nuckii feminam vehementer sitivisse,  
vehementerque potantem, urinam parcè  
misisse; & iterùm ob idem signum hanc  
speciem morbi non interstingui à spe-  
cie sequenti, quæ idem signum scribi-  
tur habere.*

6°. *Si mox à puncturâ, antequam  
aqua emittatur, sondâ longâ per cannu-  
lam inductâ, per omnem ventris capaci-  
tatem duci nequeat. Verùm idem vidi  
chirurgos experiri in tumore quocun-  
que cystico, sive minore, sive etiam  
ventrem explente totum, quandò di-  
visus in partes, variaque loculamenta  
est. Dices fortè instrumentum trique-  
trum in hydrope peritonæali mox pene-  
trare in cavum; in hydrope verò sac-  
cato longum emetiri debere spatium,  
antequam integumenta, musculos, peri-  
tonæum, ipsumque penetraverit saccum;  
adeoque vel sic distinctionis haberi no-  
tari. Sed regero, experienciâ edoctus,  
instrumentum in gracili ventre, & sæpè  
gracili cystidis plagâ, mox penetrare;  
adeoque hoc ad distinctionem non suffi-*



cere. Vide quàm tenuis cystidis membrana esset in historiâ *Morandi* Ac. R. Sc. Par. anni 1719.

7°. *Si per eandem sondam non eas percipiamus inæqualitates, quas intestina, cæteraque formant abdominis partes.* Hoc signum aliquid probaret nisi saccos inveniremus tenues, ac ferè politos internâ suâ superficie, in quibus proindè idem sonda doceret.

8°. *Si post paracentesin paucum admodum aquæ in cavo restitaverit.* Sed vix remanere quidquam in ascite, & in cystico, aliquandò deprehendimus.

9°. *Si post educ-tas aquas resupinato corpore liquor per cannulam injectus, per eandem extemplò exiliat.* Idem in cystico adverti.

Cùm præter hæc novem, alia signa apud auctores non enumerentur, hæcque ipsa fallacia esse demonstrantur, imò hanc speciem morbi cum subsequente confundant, concludi fas est, diagnosis hydro-pis peritonæalis incertam admodum esse.

Quamquam autem novem tantummodo signa, ut mox dixi, eaque incerta valdè enumerari soleant, an decimi signi loco numeranda non esset iniqua sexûs feminei sors, in quem ferè uni-



cum hæc hydropis species cadat? Quantum enim pro meâ virili historiam medicam discusserim, necdùm plus unico viro, quem invaserit, se obviam mihi fecit; scilicet *Abornii* adolescens, cujus etiam meminit laudata toties *Morgagni* epistola.

Hoc sic se habente, haud esset, viro tumidum gerente abdomen, ulla ferè unquam de peritonæali hydrope formanda suspicio. Sed undenam solis feminis familiaris? Legendus hic omninò est incomparabilis *Winslow* in *Acad. Reg. Sc. Par. an. 1741. à pag. 76. ad 80. & à pag. 234. ad 250. Edit. in-8.* super durioribus atque rigidioribus thoracibus, qui inferiores feminarum costas deprimendo, comprimendoque hypochondria, ad hæcce, & alia pessima mala generanda, apti nati esse videntur. Sive enim indè compressa vasa lymphatica in nodulos, quos detexit anatome; primò assurgunt, ac dein crepando hunc hydropem generant; sive potiùs à tumoribus præ thoracum compressione in cellulositate natis, tandemque sic auctis, ut à peritonæo muscoli abdominales secedant; vasa lymphaticâ, à peritonæo ad hos musculos pertinentia, rumpuntur, &



sic lymphæ in hanc intercapedinem illapsa, eandem auget: abundè intelligimus thoracum pressione gigni hanc hydrophis speciem sæpè & posse, & debere. Præterquam quod, præter alias cysticorum tumorum, de quibus mox, causas, etiam hac thoracum pressione eorundem ortus, atque progressus, haud difficulter intelligatur: quâ de re legi meretur *Targioni Tozzetti prima raccolta di osserv. mediche.*

Describitur quarta hydrophis species, *cystica*, seu *saccata*, dicta, quæ à variis ventris visceribus, partibusque, originem trahere suam potest.

Ac primò quidem ex ovario alterutro, quod, quemadmodum pluriès demonstravi, & in variis hujus operis partibus descripsi, vel magnam ventris partem explere, vel totum, potest.

Secundò, à tubâ alterutrâ; quemadmodum quoque antea descripsi.

Tertiò, ab ipso utero, ut observarunt auctores.

Quartò, ab hydatidibus natis in hepate insignioribus, hepatis molem monstruosè extendentibus; quales auditoribus meis publicè demonstravi: vel etiam ab hydatidibus numerosissimis ex hepate, ex liene, ex utero, alioque



quocumque viscere propullulantibus, vel & inter omenti laminas, in peritonæo, aut quoque in cavo omentum inter, peritonæumque, formato, inventis.

Signa hydropis cystidis nunc investigemus accuratè. Ore omnium veluti scriptorum, *Mauchartus*, *Eph. N. C. Cent. 8. obs. 14.* & *Nuckius in Aden.* hæc signa collecta dederunt.

» Quæ hydropicæ, scribit *Mau-*  
 » *chartus*, nec pallent, sed roseum po-  
 » tiùs genarum servant decorem, nec  
 » pedes habent tumidos; ut potiùs,  
 » aucto licèt in dies abdomine, graci-  
 » lescant cum reliquis artubus & cor-  
 » pore: hæc si diù, absque notabili  
 » actionum læsione sarcinam hanc cir-  
 » cumferant, appetitum habeant bo-  
 » num, non admodum sitiant, nec  
 » tussiant, alvus autem faciat offi-  
 » cium urina naturalis sit, & moles  
 » abdominis nec purgantibus, nec diu-  
 » reticis obediat, & præcipuè malum  
 » à partu difficili, puerperio infelici,  
 » mole gestatione, aut abortu ducat  
 » originem, nec signa cachexiæ con-  
 » currant, hydrope ovarii, seu faccato  
 » vel cystico dicto, sæpè tenentur.

Et *Nuckius*: » Ego, inquit, expe-



» rientiâ didici illas , quarum facies  
 » colore grato est rosea , quæ satis  
 » benè comedunt , bibunt , alvum de-  
 » ponunt , urinamque sine notabili mo-  
 » lestiâ excernunt , quarum corpora nec  
 » purgantibus , nec diureticis , nec dia-  
 » phoreticis , multùm auscultant , illas ,  
 » inquam , ordinario affectu uteri , tu-  
 » barum , vel ovariorum , laborare hy-  
 » dropico , lymphamque peculiari fac-  
 » culo inclusam nullâ arte curari posse .

Obiter advertamus scriptorum ho-  
 rum priorem de solo ovarii hydrope  
 agere , posteriorem de eo , & ovarii ,  
 & tubæ , & uteri : priorem , malum de-  
 ducere à partu difficili , puerperio in-  
 felici , mole gestatione , aut abortu ;  
 non excludere tamen ab hoc morbo  
 virgines benè menstruantes , quales vi-  
 dimus , cùm non dicat *has solas* affici ,  
*sed precipuè* .

Advertamus secundò , nullam in utrâ-  
 que hâc descriptione fluctuationis fieri  
 mentionem , quam , ut ut sæpè abest ,  
 obscuriorem ego deprehendi tamen , &  
*clar. Fargionius* , in suâ matronâ invenit  
 manifestam . Ergone & abest & adest ,  
 ut in peritonæali ? ob idque nihil in  
 diagnosi juvat ?

Si nunc animo perpendamus plera-



que signa in hoc cystico hydrope veluti diagnostica; imò pathognomonica tradita, convenire cum iis, quæ in hydrope peritonæali signorum diagnosticorum, atque pathognomonicorum nomine cluebant, convincimur præter conjecturam, aut saltem præter probabilitatem, nihil reliqui fieri.

Sed ad alia quàm plura attendamus oportet. Dantur veri cystici tumores, dantur & spurii; & sic quidem, ut crebrò signa nobis desint; quibus verum à spurio discriminemus, spuriumque à vero. Neque veluti gratis me hæc asserentem ii incusabunt, qui hæc in re pluriès se suâ in praxi norint esse deceptos. Videantur quæ celeberrimum *Valsalva* observasse clarus per omnia referat *Morgagni*. Tumido in vitâ existente abdomine, à morte tumor invenitur pondere 25 librarum, è mesenterio enatus, processibus suis jecur & lienem premens, infra cum tumido teste sinistro communicans; substantiæ cancrôsæ.

Mulierî adest in vitâ ingens medio in ventre tumor: in denatâ illius basis invenitur ad mesenterium, ipseque cum colo unitus, hîc firma, ibi mollior.



*Marcellus Donatus* ejusmodi tumoris meminit, pure repleti.

Post tumidum admodum in vitâ ventrem, tumorem cadaver exhibuit prægrande hominis caput æquantem, natum ex uteri posticâ parte, carnosâ substantiâ duriorē, duos in faccos divisum, quorum alter vacuus, seruo alter plenus. Primum liber tumor, postmodum utpotè cum vicinis concrescens, immobilis fuerat.

Tumor ingens, immanis, totius non epigastrii, quod notandum, sed hypogastrii, sæpiùs de die variæ magnitudinis, diù ægrum torquet. Invenit *Valsalva* molis ingentis ventriculum locatum in hypogastrio. Similem refert *Mangetus* anatomen. Illustr. *Morgagni* immensum talem ventriculum deprehendit, qui etiam vacuus, vix à pubis distaret ossibus. Illustr. *Macneven O Kelly ab Agrim* in Diss. de raro ventriculi casu 1760. edita, ventriculum demonstravit skirrho pylorum ferè obturante, eam in molem amplificatum, ut, sacci instar, universum abdomen expleret, suoque fundo inter rectum atque vesicam sese insinuans, causam tenesmi existisset, frequentisque stranguriæ. In-



gens adeò hic ventriculus erat ,  
 referente clarissimo auctore , » filum ar-  
 » cui majori circumductum , antequàm  
 » evacuaretur , ulnam bohemicam , cum  
 » tribus quadrantibus & duobus polli-  
 » cibus , æquaret : minor arcus tres  
 » daret ulnæ quadrantes cum uno pol-  
 » lice «. Et , quem apud *Riverium* , an-  
 tiffiodorensis medicus *Jodon* describit ,  
 ventriculus , quantâne mole ventrem  
 extenderit , qui nonaginta librarum pon-  
 dere liquidum intrâ sese comprehen-  
 dere , inventus est ? *Moinichenius* ven-  
 triculum vidit sic universum explen-  
 tem abdomen , ut cooperiret intestina  
 omnia. Profectò similes tumores , ante-  
 quàm ventrem penitùs impleant , cysti-  
 corum more se habere , nobisque im-  
 ponere possunt ; & grandescentes demùm  
 sic , ut & expleant totum ventris ca-  
 vum , & liquore turgeant , fluctua-  
 tione suâ ascitem mentiri queunt.

Intestina concreta mutuò inter sese ,  
 ac conglobata , sensum tumoris inæ-  
 qualis saccati medicis exhibuerunt. Mo-  
 nachus creditur ascite mediocri labo-  
 rare , unà cum tumore fortè cystico ,  
 quo presso flatus per inferiora exclude-  
 bantur. In cadavere invenitur tumor à  
 conglobatis intestinis tenuibus & partim



quoque crassis, ope crassorum atque cartilagineorum ligamentorum. Qui hanc historiam refert *Morgagni*, addit se in alio principium hujus tumoris unà cum ascite invenisse. Anni sunt 23. quod publicæ lucis fecerim historiam feminae, cui paracentesin tres medici feceramus, veluti hydrope cystico laboranti; in cadavere invenimus ope omenti monstrosi, geminos digitos crassi, ventriculum; jecur, colon, jejunum, duodenum, in unam veluti fasciam coivisse & concrevisse. Rubellus liquor, quem pondere 16. vel 17. librarum paracentesi eduxeramus, & qui integro triduo post hanc foramine exstillaverat, in unico ventris cavo, quod in sinistro latere inveniebatur, non saccato, hæserat.

Cysticum tumorem mentita vesica urinaria est, quam ill. *Morgagni* invenit immensam in bursam esse amplificatam, ac peritonæo connatam: ex vesicæ quippè orificio corpora quædam alba excreverant in vesicam; undè perpetuum quidem urinæ stillicidium, sed etiam urinæ plurimæ diuturnior in eâdem morâ: quo sensim factum, ut in stupendam hanc molem vesica excrevisset, in parietibus suis digito crassior.



In *Boneti Sepulcreto* tumor ventris ingens, isque cysticus, reperitur, ab abscessu ingenti, inter vesicæ tunicas anteriores oriundo.

*Part. IV. Rat. Med.* demonstrationem publicam communicavi jecinoris atque lienis, substantiæ quidem optimæ, sed molis adedè incredibilis, ut viscera hæc utraque universum ventrem, hydropis saccati modo expleant, parva modo parte versùs pubem excepta.

*Tom. VI.* exhibui immensæ molis omentum, omnia explens, & universa abdominis viscera ferè obvelans. Similia & *Ruischius* descripsit.

Ren invenitur apud celebr. *Morgagni*, cujus portentosâ mole cuncta ventris viscera premerentur in peritonæum. Medici parisienses homini cuiquam tentaverant quater ventris aquas paracentesi educere; nec eduxerant quidquam. Ren demùm in cadavere invenitur 35. librarum gallicarum. Semel quoque ejusmodi renem publicè demonstravi.

Uterus, vel in cavo suo hydropicus; vel pure, ichore, skirrho, in substantiâ suâ horrendæ molis; aut graviditatem mentitus sæpè est, aut hydropem. Omitto tumidos ventres



à vermibus, ab aneurismate, à systemate venæ portarum obstructo, &c.

Sed & ipsa ovaria, ut ut hydropem cysticum verum formant, ità non minus frequenter spurium, ut ante jam monui; utpotè aut pro maiore parte, aut tota sive atheromatosa, sive steatotomatosa, sive cartilaginea, sive skirrhosa, sive cancrosa, &c.

Ex quibus omnibus maturè consideratis sponte, opinor, liquet, & diagnosis tertix & quartæ speciei hydropis plerumque dubiam haberi, & paracentesin, rariore quidem casu proficuum, plerumque verò aut periculofam, aut lethalem esse.

*Quinta hydropis species, est tympania.* Tumor scilicèt ventris natus ut plurimum ab aëre & materiâ chylosâ, mucosâ, stercoreâ, ventriculum & intestina vehementer extendente. Negandum tamen non est constituisse experimentis, quæ ritè capta suppono, rarissimis tamen, tympanitidem nasci posse, si aër peritonæum inter ventrisque viscera contineatur; aut si aër & intestina distendat; & ventris cavum; aut si & aër simul & aqua cavo in ventre reperitur; aut denique aër intestina tumefaciat, & aqua abdomen.



Signum primum tympanias medici ponunt ventris minorem, quàm in ascite tumorem: hoc signum fallax esse demonstravit tympaniticus, cujus historiam dedi *part. 2. Rat. Med.*

2°. Aiunt fluctuationem non percipi. Hoc certè non ità generale signum est, quin candidus *Duverney junior* fateatur se aliquoties deceptum fuisse, dum fluctuationem se percipere credidisset, & postliminio deprehendisset, loco lymphæ, aëre, ac multâ glutinosâ materie, repleta intestina fuisse.

3°. Sonitum tympani madentis, aut obducti, statuunt tympanitidis signum esse. Quanquam sæpè numero id verum est, fateri tamen debemus hunc sonitum, neque perrarò, adeò esse obscurum, ut utrùm adsit, necne, jure dubites. Symbolam tamen hæc tria enumerata signa conferunt, si cum hisce homo est ad stateram levis; cùm è contrario in ascite, & hydrope quocunque alio, ponderis insignis ægri sint ob colluviem aquæ.

Verùm neque hoc quidem ultimum citrà exceptionem in diuturniore tympanitide admittebat vir præstantissimus, hâc elapsâ æstate nobis morte ereptus, *Werlhofius*. Et dum amplissima tympan-



232 RATIONIS MEDENDI  
niticorum intestina *Duverney* crassâ  
materie mediam partem repleta vide-  
ret, an non signum levitatis ponderis  
admittere potuit? Ad rem hîc *Mor-  
gagni*, » *Hurterus*, inquit in tympani-  
» tico puero cùm miraretur crassa præ-  
» primis intestina distenta adeò, ut  
» colon suâ mole jecinori vim attulisse,  
» & sinistorsùm compulisset; materiem  
» intùs invenit tantâ copiâ, quantâ id  
» facere potuerat, pultiformem, spu-  
» mescentem, & ex albo flavescentem:  
» quæ res in morbo, quem adstricta  
» alvus comitatur, tunc, opinor, ma-  
» ximè conjicienda est, cum aut paulò  
» antequàm morbus evidenter incipe-  
» ret, multa ægri ingesserunt aut non  
» perpauca, postquàm incepit, porriò  
» ingerere perrexerunt. Adeòque non  
erunt tales, ratione suæ molis, pondere  
leviores.

Et quoad penultimum, de ventre  
resonante; in *Casparo Lombria*, patri-  
cio veneto, ill. *Morgagni* describit ven-  
trem tumidum tympani instar resonasse,  
dum tamen in anatome » venter aquæ  
» fœtidæ, ex viridi flavæ, copiam ha-  
» buit, quantam maximam præter om-  
» nem modum distentus habere po-  
» tuit. Nec modo aliquandò deest



hoc signum in tympaniâ, verum etiam adest in opisthotono sic ut Aretæus Cappadox, *lib. 1. de C. & S. Ac. cap. VI.* illud inter signa hujus morbi diagnostica ponat. Προπετιές κοιλίην ἐν ἡώρῃ καὶ ἐπιγάστριον ἐπιτεταμένον, ἐν εἰ ἐπιπυρίοις, ἐν ἡχῆν. Opisthotonos autem nihil commune cum tympanitide habet. Sic ut etiam resonantia tympani non monstrat perpetuò tympanias præsentiam.

Atque ità demùm hydropis, singulas suas in species divisi, signa tantùm probabilia invenimus: quæ sanè & alterum, & tertium poscunt, antequàm quid certi aut statuamus, aut pronuntiemus, examen: quamquam & aliquandò tunc adhuc hæsitare medici prudentis sit. Quod enim senties olim, quod nostris toties contigit temporibus, ut viris, verè in arte præclaris, hæc res turpiter imposuerit, idem & aliis, & nobis omnibus, potest contingere. Quare nihil indecentius turpiusque in medicorum consilio est, quàm quod suam quisque sententiam acriter, crebròque in aliter sentientes ignominosè, proferat eâ in re, de quâ nemo certitudinem, ad summum verò meram habeat probabilitatem. Exemplo nobis hîc ipse sit præclarus *Morgagni*



234 RATIONIS MEDENDI  
qui *Ep. A. M.* 39. in referendâ con-  
sultatione quinque medicorum, super  
tumido ventre reverendissimi brixiani  
antistitis habitâ, vel id solito longè dif-  
fusior esse videtur, quo discerent me-  
dici omnes & in ægrorum salutem, &  
in mutui tutamen honoris, suam qui-  
que mentem, suam quique proferre  
sententiam. Dum ipse quartus pero-  
rans, suam sententiam dixerat, "Ve-  
rumtamen, addebat, non hæc à me  
dici, quasi aliorum sententiæ conjectu-  
ram præferrem meam, quam omnium  
judicio subjicerem, nihil ipse ut in re  
arduâ, & præobscurâ, definiens, ided-  
que, nec quod aliis visum esset, con-  
temnens".

Dignosi variarum hydropis specie-  
rum plerumque incertâ, incerta sæpè  
quoque prognosis erit; minùs tamen  
crebrò, quàm diagnosi: sæpè enim ca-  
lamitatem ægrotantium, vitæque dis-  
crimen, agnoscimus ex functionum læ-  
sione, cæterisque prognosticis signis,  
licèt genuinam necdùm capiamus na-  
turam speciemque morbi.

De curatione nunc pauca videa-  
mus.

Ac primò quidem in ejus hydropis  
curâ, qui consultis cunctis experien-



tia regulis nobis ascites esse appareat, isque verus, cum aliâ quâcunque specie non confusus; in hujus, inquam, curâ indicans, indicatio, & indicata, omnium optimè invenientur in immortalis *Boerhaavii capite de hydrope*: potissimum si unâ conferantur, quæ ex numerosis auctoribus, ac multiplici suâ praxi & experientiâ, ad hoc caput, pulchro concinnoque ordine, ill. L. B. *van Swieten* commentatus est: eâ tamen lege, ut si æger ab auxiliis selectissimis non emendetur, imò pejoretur potius, seriò perpendamus, num forsitan hydrops hic aut non complicatus sit, cum aliâ ejus specie; aut inveteratior, quàm ut solis internis levetur, abigaturque auxiliis.

De paracentesi tunc deliberandum est, ne, sit instituenda, ea demùm ægro incurabili factò, in artis vituperium instituat. Quæ si levet ægrum, rariùs unicâ vice salutem affert; undè pluriès repetenda est.

Novi equidem claros in Angliâ viros conatos fuisse, injectione in ventrem adstringente ac roborante, compositâ ex aquâ bristolensi & vino rubro, calidè injectâ, reditum præca-



vere aquarum post paracentesin; sed cum bonâ illorum veniâ necdum imitari illos ausus sum. In suâ enim historiâ candidè enarrant, ægram sub ipsâ injectione, pungentes pectore percipisse dolores, perque omnia viscera lancinationes, habuisse respirationem difficilem, pulsum vacillantem, redeuntem syncopen, aphoniam: quæ profectò, licèt ægra reconvaluerit, quàm parùm à verâ morte abfuerint, cuique liquet. Quantane hinc inquietudo! Quanta, si mors sequeretur, artis nostræ exurgeret infamia! si tamen exempla complura hanc curam confirmarent abundè, sequeremur eam audaciores. Solemus autem curarum eximiarum posteriores, quæ priores confirmant, sæpè frustra desiderare repetitiones, ac si quapiam duntaxat fortunâ primâ vice contigissent: ad quod credendum eo magis adducor, quo crebriùs viderim, quanti laboris sæpè sit in locis externis, v. g. in tibiâ, sic vasa lymphatica constringere, ut nunquàm ultrâ suam lympham effundant.

Quæ porrò reliqua de ascitis curâ monenda sint, hæc in curatione cæterarum specierum sponte patebunt.



Quæritur igitur quænam curatio secundæ speciei hydropis sit, scil. hydropis peritonæalis.

V. doctissimi, *Tulp. Van Mekerem, Nuck, Coster, Walæus*, commendarunt paracentesin. Censet *Nuckius* peritonæum, lymphâ eductâ, brevi cum abdominalibus musculis coalescere, & ora vasorum lymphaticorum, ductuumque glandularum excretoriorum, olim abrupta, jam hoc coalitu peritonæi cum musculis sic claudi, ut omnis sit ablata hydropis causa.

Et hanc curam se se ab ipsâ didicisse naturâ quidam scribunt; contemplati in *Ahornii* historiâ, *Eph. N. C. cent. 9. obs. 100*, quo pacto natura bis exiguo à se foramine facto levamen attulerit, felicem tertio sanationem: & quo pacto in feminâ, cujus causâ cl. *Chomel, Act. Ac. Reg. Sc. ann. 1728.* suam dissertationem adornavit, natura aperiundo umbilicum, medicis ostenderit viam salutis: quomodo prætereà doctiss. *Brehm. Act. N. C. tom. IX. obs. 79.* feminam solo per umbilicum facto sponte, die alterno, sub alvi exoneratione aquarum copiosissimarum effluvio, natura curaverit.

Verùm enim verò licet natura ali-



quoties hâc via attulerit salutem, intulit quandôque via eadem interitum; ut *Hagedorn. in N. C. cent. 2.* demonstravit.

Secundò, in laudatis hisce historiis, ità fortunatis, dubitatur, num reverà peritonæalis hydrops adesset?

Tertiò, licèt natura sic reverà hunc morbum curasse statuatur, hoc non impedit, quo minùs paracenteseos negotium magnis implicitum difficultatibus agnoscamus. Si præter aquam nihil vitii locus habet, fortunata aquarum eductio esse potest. Verùm cadavera toties, post eductas aquas, tumores nobis revelant pravos, ulcerosos, cancrofos; quos occultaverat lymphæ moles. Hinc perill. *Morgagni, Ep. A. M. 38.* » Ac » priusquàm, ait, à te suscipiatur æger, » exquiras diligenter velim, num duri- » rities, aut tumor aliquis antea fuerit, quem nunc magna abdominis » extensio occultet: prætereà num dolor, non eum dico, quem ipsa illa distensio parit, sed ulcerosus, testis » erosionis, ægrum torqueat, aut certâ aliquâ in parte arctius à te contracti abdominis excitetur. Ratio cur paracentesis tunc nedum juvet; sed mortem præcipitet, aër est, qui



putredinem accessu suo exulceratis affert partibus : imò & absque accessu aëris paracentesis non levat, eoquod exulceratæ partes pergant more suo corrumpi, augeri; quodque ex erosio, apertisque lymphaticis vasis, scaturigine scilicet prioris hydropis, novus hydrops regeneretur. Equidem auctores nonnulli methodum commendarunt ejusmodi exulcerationes depurandi & curandi, verum quid de eâ cogitandum sit, mox patebit in sequentibus.

Profectò si ab unâ parte cum tentatæ curationis periculum, tum acceleratam ab illâ mortem, intueamur; ab alterâ verò parte morbi sibi demissi cum tolerabilitatem, tum etiam diuturnitatem; ne quam curam unquam, sive in hâc, sive in sequenti specie, suscipiamus, facilè persuademur. *Tulpium* femina, cujus mortuæ venter 110. libras aquæ inter peritonæum & musculos gerebat, tulit hoc malum integro generosa septennio; sic, ut potuerit, perindè atque sanissima, deambulare, peregrè proficisci, imò & *Cliviensium* conscendere turrim. Femina *Brehmii* morbum tulit 14. annis. Virgo *Munnickii* annorum 18. spatio. In *Adis*



*Anglicanis* mulier alia morbum 30. annis tulit, alia annis 44.

Consideranda tertio hydropis, quem saccatum aiunt, cura. Et paracentesi hanc perficiendam esse medici arbitrantur: quin & nonnullæ enarrantur, paucae tamen, curationes ejusmodi fortunatae. Vid. laud. mox, *Act. Ac. Reg. Sc. an. 1728.*

Verum enim verò, cum antea constiterit, quam difficulter diagnosis vera hujus morbi capiatur; cumque ab altera parte laudate curationes sanitatem reddentes, num res ita se habuerit, anatomicam demonstratione haud potuerint evincere, curationes eadem id non probant, quod earum intendunt auctores.

Alios proinde consulamus. Egregius *Duverney*, junior, in *Actis iisdem anni 1707.* multus est in docenda arte eam, quam, post paracentesin, ope injectionum, saccorum exulcerationes depurentur; postea etiam comprimantur ac vinciantur; ipsique si adsint tumores, incidantur; suppurandoque consumantur. *Acad. Chir. Reg. Par.* in suo altero tomo consimilia suadet.

E contrario 1<sup>o</sup>. innumera exempla monstrant,



monstrant, præter eum, quem pertunderis, saccos dari plures: sic ut vel aquâ, vel pute, vel glutine, ex sacco uno educto, & alii & complures, sacci adsint, qui nihil communicantes cum priore, minime concidunt; intereâ dum aër in apetto priore omnia disponat ad corruptionem.

2°. Plures etiam si pertundantur cystides, quid demùm id proderit? Scimus enim sepimentis, inter sese nequam communicantibus, suam singulo in sacco contineri, ut plurimùm, materiem: undè non rarò à paracentesi vel nullus, vel paucus admodum materieï effluxus.

3°. Et unicus modo saccus sit, isque sepimentis non divisus, quid inde? Certine sumus, si ille aut nihil, aut partim tantùm, cum peritonæo concrevit, nec omentum interesse, nec intestinum, quod infeliciter fortè pertundatur? Aut possimus ne asseverare de aperto sacco non effluxuram in cavum ventrem materieï corruptæ portionem, quæ lethum inferat brevi?

Imò evitari se hoc aiunt posse, feminam locando in ventrem pronam, quo totum cystidis pondus in peritonæam gravitet. Verùm ill. *Morgagni* id prin-



cipio possibile quidem esse concedit; minùs verò, quandò saccus nunc ab evacuatione flaccidior, minùs apprimitur ad peritonæum: neque etiam hunc effluxum tunc impediri, quandò filamenta in liquore natantia cannulam obturaverint; liquore tunc juxta cannulam in ventrem transsudante. Et demùm aër, quâcunq; adhibitâ curâ furtivè intrans, sacco minabitur gangrænam. Quotiesne prætereà saccus pauculorum spatio dierum æquè, atque antea turgēt & pejorem sequenti paracentesi materiem fundit? Frequenti enim cadaverum aperturâ didicimus collabentis sacci aperturam coire, ut ex eodem denuò repleto nihil in ventrem effundatur: sin autem quandòque non coiverit, ut perpetuum fiat corruptæ materiæ in ventrem stillicidium, sicque iterùm ob aliam, quam hucusque exposuit, causam ægra pereat necesse est.

Sed cannulam, inquiunt, in aperturâ relinquemus, ut saccus continuâ novæ materiæ evacuatione concidat tandem materiæque, sacci collapsu, coalituque, scaturigo annihiletur. Respondeo, ut olim, itâ & nunc, cannulam irritando, aëremque continuò admittendo, gangrænam mortemque ac-



celerare ; ut allato superiùs exemplo in nostrâ puellâ constitit.

Hinc necesse foret saccum posse consumi. *Littraus* quædam hunc in finem proposuit : *Cyprianus* etiam aliquid tentare ausus fuit ; sed in occasione tam rarissimâ , ut mille , milleque medici , eandem nunquam aut fuerint adepti , aut adepturi sint. Vide ejus tractatum impressum post librum , cui titulus : *Belloste , chirurgien de l'hospital. Chirurgi parisienses in Actis Acad. sua , ovarii extirpationem audacter proposuerunt , eo quo brutæ femellæ castrantur modo ; hæc autem , speculatione ingeniosâ genita , non videntur per tot annos , qui exsequerentur , habuisse. Vide quæ parte IV. de hac re disserui.*

*Duverneyus* tamen judicabat , eductâ materiâ , collabi saccum , collapsosque inter se se coire parietes ; eoque modo par feminarum se integræ reddidisse sanitati. Cum verò vixerint postmodum ambæ , neque apertæ à morte fuerint , de naturâ illarum morbi , incertam adeò diagnosin habentis , jure merito dubitamus.

Et quidni dubitemus ? Ipso scilicet hoc claro auctore sponte , & ingenuè , fatente : » *Je n'en ai point vu guérir : au*



» contraire plusieurs femmes , qui jouis-  
 » soient d'une assez bonne santé , & qui  
 » n'avoient point d'autre incommodité ,  
 » que celle de porter un gros ventre , ont  
 » péri en peu de temps , pour avoir voulu  
 » s'en défaire «.

↳ Nec Nuckii , licet speculativè pa-  
 racentesin proposuisset , alia sententia  
 fuit ; eas nempe , quæ cystico hydrope  
 laborarent , nullâ arte curari posse , can-  
 didè asserentis. Adstipulatur Targionius.

Nullane igitur in cystico hydrope  
 paracentesis locum habet ? Nullane  
 auxilia alia ? Quod *Duverneyus* , & *Nuc-  
 kius* , & *Targionius* mox , idem ego ,  
 idem mecum complures testantur ; om-  
 nes scilicet feminas , quibus in hâc  
 morbi specie , aut instituta paracentesis  
 fuerit , aut multa anthydropica reme-  
 dia exhibita , morbum brevi habuisse  
 calamitosiorem , citiùsque lethalem.

Interim bonum vitæ regimen , nimii-  
 que qui nocere posset , motûs , nec  
 non violentarum animæ passionum ,  
 sollicita evitatio ; diæta quoque saluta-  
 ris , aërque salubris , conferent multum.  
 Rifu crepuit cystis in cl. *Morgagni*  
 matronâ , undè pessimus natus ascites.  
 Feminae meæ , de quâ , *part. IV.* à  
 motu nimio per plateas , saccus crevit ,



& funestus quoque sequutus est hydrops.

Quid si probabilitas magna est & cysticum hydropem adesse, & asciten? Servatis regulis generalibus, paracentesis profutura videtur, ut saltem saccus, eductis aquis majore libertate gaudeat. Quid de remediis demum internis? Si ceterum femina valet, abstineat ab illis; cum sive per diuresin, sive per alvum, sive per sudores, hæc agant, semper turbabunt corpus, alias benè se habens; & citrà ullam sacci, extra leges circulationis hærentis, emendationem, vires ægræ frustrà dilapidabuntur. Sin verò femina malè habeat, palliativè, pro re natâ, adjuvetur.

Quintæ denique speciei hydropis, tympanitidis dictæ, curam, moderatâ frictione, medicamine atque alimoniâ vires restaurantibus, inertesque intestinorum fibras aptè exstimulantibus, tentare solemus: interpolamusque purgantia, quæ, dum in morbo nondum conclamato, desides intestinorum fibras in actionem cieant, aërem, contentamque in intestinis materiem eliminando efficiunt, ut area morbi finibus conscribatur arctioribus, atque ità



246 RATIONIS MEDENDI  
morbi causa minuatur, ac fortè tollatur.  
Cortex peruvianus, qui multos haud  
minùs alvo laxat, quàm viribus restau-  
rat, additâ frictione, affert aliquandò  
plurimum boni.

---

## CAPUT V.

ANATOMICA QUÆDAM; ET  
EXPOSITIO TABULARUM.

**V**ISCERUM, ac potissimum abdo-  
minalium, situm, configurationemque,  
in singulâ cadaverum aperturâ, ut au-  
ditores mei accuratè notent, hortari  
soleo; ut exindè intelligant, quàm  
crebrò, 1°. viscera hæc eum non occu-  
pent locum, quem vulgo credimus  
eadem occupare; 2°. quàm sæpè con-  
tingat, ut eorundem moles, longitu-  
dine, latitudine, amplitudine, capaci-  
tate, connexionone, vel partim, vel  
integre, aucta, imminutave, reperia-  
tur; 3°. quàm fallax nostrum judi-  
cium sæpè in morbis sit, dum v. g. he-  
par in dextro hypochondrio quærimus:  
ubi idem intrâ costas totum delitescit:



dum hepar in dextro tantummodò la-  
tere locari arbitrati, non rarò idem vel  
totum hypochondrium finistrum, vel  
magnam ejusdem occupare partem re-  
perimus: dum hepar solito in loco esse  
creditur, idque tamen invenitur à dia-  
phragmate ad umbilicum, imò & ad  
longè inferiora, ventrem occupare:  
dum splen in extremâ parte finistri hy-  
pochondrii sub arcu costarum, quæ-  
ritur; ubi intereâ sæpè aut nihil omninò  
infra costas eminet, aut versùs dorsi  
spinam locatur, aut in abdomine infra  
hepar depressus invenitur, aut intrâ  
lobum minorem hepatis, jam maxi-  
mum, involutus: dum dolente ægro in  
lævâ, atque mediâ epigastrii plagâ,  
ventriculus accusatur; isque intereâ  
sæpè aut post jecur dorsum versùs, aut  
post tympaniticum colon, aut totus  
ferè in dextro hypochondrio; aut elon-  
gato œsophago infra crassum jecur ad  
umbilicum protrusus sive horizontali-  
ter, sive etiam perpendiculariter loca-  
tus est; aut mole ingens totum sæpè  
epigastrium sic implet, ut tangat utrin-  
que infimarum costarum arcus; aut to-  
tus deprimatur infra umbilicum; aut  
tandem explet sic universum ventrem,  
ut aperto peritonæo omnia viscera à



diaphragmate adusque pubem contēgat : quam è contrariò autem aliquandò adedò parvus sit, ut vix uncias quatuor, trēs imò duas, capiat; & parvi contracti intestinuli formam habeat : dum intestinum colon in colicâ accusamus, ubi illud in loco dolente minime jacet; & è contrariò veri colici dolores iis in plagis hominem torquent, in quibus nemo ferè colon quæreret : dum ipsum hoc intestinum suprâ jecur, ventriculum, ac lienem decurrens, imò cartilaginibus costarum spuriarum ac mucronatâ cartilagine tectum, aliarum potiùs partium morbos refert, quàm suos.

Ipsa autem prava conformatio; quam pro parte jam in recensione loci, quem occupant, alieni, magnitudine auctâ, minutâve, vidimus; mirificum sæpè adspectum præbet, docetque homines multas causas proëgumenas morborum intrâ se se gerere, ut putâ, colicæ variæ, imò etiam pictaviensis; ilei, tympaniditis, &c. quorum alii ejusmodi morbos pluriès in vitâ vario perpetiuntur insultu, alii rariùs, alii verò nihil omninò : docet prætereà morbos complures immedicabiles sæpènumerò esse, quia eorundem causa prædisponens tolli nequit; medici tunc esse, ut in



causas evigilet excitantes ; quibus averruncatis , haud rarò diathesis sopiatur sic , ac si corpori non inesset. Tandem dum partium degeneraciones , sæpè enormes , obfirmatas , ac proindè antiquas , eorum cadavera revelant , qui in vitâ suâ signa harum degeneracionum præ se se non tulissent , docet hæc eadem denatorum inspectio aut 1°. partes miserè affectas , non quo loco hæreant ; gignereque morbos debeant , sed in dissitis multùm plagis seu nervorum commercio , seu quâdam arcanâ lege , corpora lacefcere : aut 2°. grandes morborum causas mortalium inesse visceribus , quæ in actum prorumpant nunquam.

Discimus igitur ex his omnibus prudentiam in diagnosi formandâ ; discimus cur sæpè eandem deprehendamus fallacem ; discimus prognosin majoris quandòque non esse certitudinis ; & proindè curam eâ prudentiâ & cautelâ incipiendam , promovendamque esse , ut , quandò auxiliorum admotorum effectus intentioni non respondent , imò morbum exasperant , seriò inquiramus , an forsàn causa in his , de quibus hîc sermo est , querenda , reperiundaque non sit ?



Tabulæ hîc adpositæ multa eorum, quæ dixi, explanabunt. Sunt in iis, quæ ad varias historias hujus *partis XI.* pertinent; sunt quæ minime: hæc prout sunt, repræsentabuntur, & explicabuntur; illa paginam libri notabunt, in quâ historiâ eorundem enarratur.

## T A B U L A I

## F I G U R A A.

**I**NTESTINUM colon juvenis 18 ann. qui hydrope ascite, sed potissimum pectoris, & pericardii periit.

- A. Cæci amplus saccus.
- B. Flexus hepaticus.
- C. Reflexus suprâ se.
- D. Tertius flexus.
- E. Quartus flexus.
- F. Quintus.
- G. Hucusque intestinum tympaniticum, jam post volvulum suum gracilescit, & format flexum scilicet sextum.
- H. Flexus septimus, ab eoque ad renem pergit.



- I. Flexus octavus à rene ad latus abdominis.
- K. Flexus nonus.
- L. Flexus decimus.
- M. Saccus magnus tympaniticus.
- N. Principium recti.

Juvenis hic triennio ante mortem dysenteriâ laboraverat. An infirmatum indè colon, in hæc degenerationes abiverat? Intestinum, quo loco contractum; in eo crassum valdè suâ in substantiâ erat. Historiam reliquam ob sui mirabilitatem in aliam occasionem reservo. Cæterum morbi ex hæc malâ conformatione non extiterunt.

## FIGURA B.

Viri 26 annorum est, qui sex subsequentium sibi annorum spatio febre, partim tertianâ, partim quartanâ, laboraverat; à septem autem ultimis vitæ annis non amplius, sed quidem tussi frequentiore, ac semel hæmoptoc; jam verò præter tussim quandam à bien-  
nio sanus, demùm in febrim ardentem incidit, ejusque 21. die periit.

A. Flexus coli hepaticus.

L vj



B. Flexus lienaris ; à quo usque ad C. tympanitica expansio.

Subita coli contractio usque ad D.

D. Flexus iliacus , mox abeuns in tympaniticum saccum.

E. Subita & priore arctior contractio ad F. usque.

F. Tertius saccus tympaniticus.

G. Contractio coli tertia brevissima.

H. Quartus tympaniticus saccus.

I. Contractio quarta.

K. Rectum intestinum dilatatius.

Homo hic nunquam ventris incommodis , quantum ex totâ anamnesticâ historiâ sciri potuit , laboravit. An fortè puerorum juvenumque consuetudo alvum cohibendi , occasionem formandorum-ejusinodi saccorum præbere possit ?

Sic ut loca sæcibus aëraque repleta , expandantur , & irritatio indè nata contrahat loca intermedia , non expansa ?

---

FIG. C.

Colon intestinum pueri novennis ; spinâ ventosâ pessimâ mortui.

A. Intestinum cæcum profundis cellulis à parte externâ incisum ità , ut



PARS UNDECIMA. CAP. V. 253  
fæces per angusta admodum spacia se penetrare debuerint.

- B. Apprehendiculus cæci.
- C. Flexus primus coli sub hepate.
- D. Flexus levis alter.
- E. Flexus tertius. Tumor intestini hîc loci inter hepar & peritonæum exstabat; & potuerat in vivente puero, seu tumore magno hepatis existente, imponere, & pro dolore colico, hepatis fingere dolorem. Prætereà colon hîc sæpè turgens, & hepar fricans, comprimens, ac veluti contundens, potuisset inflammationem; indurationem skirrhum hepatis efficere.
- F. Flexus coli quartus. Locus, quem hîc sub hepate ad usque F. & ab F. ad mediam partem spatii F. P. colon occupat, cùm sit intestinorum tenuium consueta sedes, imponere posset pro dolore colico iliacum mentiendo.
- G. Coli flexus quintus admodum altus.
- H. Sextus & septimus flexus parvus coli.
- I. Octavus flexus.
- K. Nonus ubi rectum L. format.
- M. N. P. Hepar magnum, ad umbilicum ferè pertingens, magnam quo-



que sinistri hypochondrii explens partem. Igitur cum hoc frequenter jecur faciat, erramus dum hepatis morbos in dextro duntaxat hypochondrio quærimus. Lien qui hic aptè exhiberi non potuit, ingens quoque erat, & digitum latum infra arcum costæ ultimæ prominebat. Utriusque autem visceris bona substantia fuit.

- O. Ventriculus sub hepate, infraque idem, ferè perpendicularis, & ultra umbilicum extensus, si doluisset parte dextrâ suâ, non sui, sed tenuium potiùs intestinorum dolorem mentitus fuisset.

---

F I G. D.

Intestinum colon hominis sexagenarii, qui asthmate pessimo diù laborans, de futuro mox paroxysmo, ex anxietate & dolore ventris præmoneri solitus erat. Sed quod in ventre præsentiebat, nonnisi causa excitans asthmatis fuit, causâ prædisponente in thorace abundanter inventâ, de quâ aliâ occasione.



- A. Cæcum intestinum tympaniticum.  
 B. Intestinum ileum contractissimum, antequam in cæcum abiret.  
 C. Processus vermicularis ad lacunam tympanitici cæci.  
 C. Coli principium angustum, ad E. angustius, ubi sub sui portione F. G. decurrit.  
 F. Circumflexio coli hîc iterum dilatati.  
 G. Reflexum colon angustissimum.  
 H. Flexus coli hepaticus, qui jam tertius est.  
 I. Brevis ultra I. contractio firma coli notabilis. Ab I. ad O. colon est naturaliter expansum.  
 K. Levis ejusdem descensus.  
 L. Flexus lienaris.  
 M. Flexus quintus.  
 N. Flexus sextus.  
 O. Contractio magna coli, brevis tamen.  
 P. Dilatatio ejusdem. Q. Angustatio. R. Dilatatio S. Angustatio. T. Dilatatio V. Ejusdem denuò angustatio antequàm in rectum abeat.

Notemus hîc maximè coli à K. ad L. adscensum suprâ jecur, id est inter jecur & peritonæum; ileique intestini



156 RATIONIS MEDENDI  
ad B. coarctationem; & coli quoque  
universi vicissitudinariam expansionem,  
& coarctationem. Cùm enim æger fu-  
turum paroxysmum dolore & anxie-  
tate ventris præsentiret, eumque non  
eodem, semper in loco; cùm præterea  
æger nunquam diutiùs liber ab asth-  
mate esset, quàm alvo per epicrasin  
perpetuò solutâ; an ergo colo toties  
à materiâ fæcali ad omnes has angu-  
stias irritato & convulso, asthma ner-  
vorum iterasset consensu? An idem  
irritatum ad tumidum, interque K. &  
L. inter peritonæum & hepar locatum,  
hepar irritavit, quod certè doeveriano  
experimento irritabile viscus est; he-  
par autem diaphragmati connatum,  
ipsum diaphragma irritando paroxys-  
mum genuerit? Aut potius colon in-  
ter K. & L. hepatis vim inferens,  
illud fursùm trahit, sic ut diaphragmate  
irritato, & fursùm pulso, cor & pul-  
mones miserè affecti redintegrarent pa-  
roxysmum?

---

F I G. E.

Exhibet ventriculum, & intestinum  
colon, juvenis, ileo morbo defuncti.



vide *cap.* III. §. I. ubi morbus & anatome describuntur.

- A. Cæcum valdè tumidum.
- B. Colon à principio valdè amplum; levem contractionem ad B. habet, ac toto suo transverso cursu ventriculi basi incumbens.
- C. Colon adscendens circum ventriculum.
- D. Colon hîc sub ventriculo ad œsophagum pertingit.
- E. Idem à D. & ultra E. sub ejusdem portione C. D. comprimitur. In ipso cadavere C. D. multò magis supra D. E. extensum erat, & ventriculus magis supra C. D. incumberebat.
- F. Augustius colon.
- G. Flexus paulò amplioris coli iliacus, isque totius coli tertius.
- H. Flexus quartus.
- I. Quintus.
- K. Sextus.

Hi tres flexus à se se versùs latera reclinati representantur, quo distinctiùs appareant; cæterum in cadavere supra se invicem positi erant, & crustâ crassâ flavâ inter se mutuo connexi; quæ eadem crusta partes C D, & D E, inter se se conglutinabat. De



258 RATIONIS MEDENDI  
causâ ilei morbi vide textum ipsum ;  
*cap. III. §. I.*

---

F I G. F.

Intestinum colon hominis, cujus mor-  
bus & anatome *cap. II. §. II.* habetur.

- A. Cæcum intestinum.
- B. Flexus coli primus.
- C. Colon compressum valdè sub por-  
tione ejus E.
- D. Flexus coli secundus.
- E. Flexus tertius.
- F. Compressum iterùm colon sub  
flexu D.
- H. Colon propè umbilicum, unà  
cum ventriculo, hærebat ; arctiùs  
autem multò contractum, quàm  
vitiosa hîc figura exhibet.
- G. Flexus quartus.
- I. Flexus quintus.
- K. Flexus sextus. Causæ hîc appa-  
rent multorum in intestinis mor-  
borum, qui tamen in homine non  
affuerunt.



---

TABULA II.

FIG. I. II. III.

Notas hîc adjicio nullas, siquidem  
 eæ insertæ sunt in historiâ ipsâ capi-  
 tis III. §. II.

---

FIG. IV.

Exhibet ventrem hydropicæ feminæ  
 cap. IV. §. IV. cujus notas quoque  
 singulas historia continet.

---

TABULA III.

FIG. I.

Exhibet jecur, splenem, & colon  
 intestinum juvenulæ 28. annorum, ab  
 ipsis incunabulis per omnem vitam va-  
 letudinariæ; quæ demùm in suâ secundâ  
 hæmoptoë in nosocomium deferebatur.



Ab altera hæmoptoës die dirâ ophthalmiâ die 67. diebus laboravit: à die 52. morbi, quem à secundâ hemoptoë numero, usque ad 67. diem, cordis passa est palpitationes: à die 22. morbi, usque ad 93. diem febrim ferè quotidianam, cum frigore diuturno incipientem: ab hoc verò die usque ad 154. diem, qui & mortis fuit, febrim hecticam quotidie exacerbantem, ferè sine frigore: à frigore, die morbi 93. cessante diarrhœam; quæ ad mortem, 15. diebus exceptis, duravit: à die 108. morbi, ad ipsam usque ad mortem, sputa aut semipurulenta, aut purulenta. Digna est historia, quæ integra aliâ occasione referatur, nunc tantum quæ ad rem præsentem.

- A. Hepatis lobus major.
- B. Lobus ejus minor.
- C. Lien parvus seminudus hîc sub margine costarum conspicuus.
- D. Hepatis lobus minor, ab arcu lævarum costarum retroflexus & lienem intrâ se se comprehendens, atque ad medium sub ventriculo epigastrium denuò pertingens.
- E. Lien involutus totus reflexo jecinatoris minori lobo.
- F. Arctus punctis notatus, quo quid



PARS UNDECIMA. CAP. V. 261  
quid jecoris ac splenis infra marginem costarum eminuerit, notatur.

G. Intestinum cæcum, in sinistro hypogastrio, eoque medio, locatum quod fæcibus, flatibusque turgens alvum cohibere potuit; potuit & vaginam uteri, uterum, & vesicam urinariam sæpè turbare. Potest recti, vesicæque, dolores, validosque creare renesmos, qui huic forsitan causæ minùs adscriberentur. Equidem vix ejusmodi effectus indè ægra nostra passa est, ut sæpiùs malorum in corpore causæ existunt, quæ rarò, aut nunquàm, in effectum prorumpunt; prorumpere tamen possunt, ac sæpè prorumpunt.

H. Flexus coli primus. Notemus hîc coli longitudinem, quod jam pedis, & ultrà, absolvit longitudinem, antequàm in aliis nasci soleat; quodque prætereà duodecim suis flexibus multum percurrit spatium. Sic ut, mensurâ captâ, inventum fuerit hoc colon duplâ ferè parte consuetam excedere longitudinem. Potuisset tardior hinc alvus nasci; potuisset



colica frequens, eaque statulenta, stercorea; pictonica; potuisset ileus in longo atque adedò tortuoso intestino facilè oriri.

- I. Flexus hepaticus.
- K. Umbilicus hîc notatur, ut iterùm pateat colicos dolores ibi nasci, ubi colon adesse minimè creditur.
- L. Colon hîc præter naturam expansum, ut alibi præternaturaliter tenue.
- M. Flexus lienaris.
- N. Flexus quintus.
- O. Flexus sextus.
- P. Flexus septimus.
- Q. Flexus Octavus.
- R. Nonus.
- S. Decimus.
- T. Undecimus.
- U. Duodecimus.
- W. Intestinum rectum.

---

FIG. II. TAB. III.

Exposita hæc est suo loco *cap. III.*

§. III.



FIG. III.

Est intestinum colon hominis quadragenarii, qui laborans carie antri hi-gmoriani, ex corrupto dente natâ, quæ fundum orbitæ jam exederat, oculumque totum de orbitâ extruserat, demùm in nosocomium venit in eo-que anno 1760. obiit. Notandum hîc est virum hunc nulla incommoda ventris sustinuisse, alvum autem per omnem ferè vitam singulo 3. aut 4. aut ultrâ die, eamque duram, scybalosam, tantùm deponere potuisse; eo-que modo eandem, mensis spatio, quo apud nos fuit, deposuisse.

AA. Inter duo A A. solum cæcum intestinum est hîc adeò dilatatum, & elongatum. Situs cæci usque in sinistrum hypogastrium productus, ut in *fig. I. hujus tabula*; verùm non itâ noxius intestino recto, &c. quia eo altior.

B. Processus cæci vermiformis.

C. Principium coli intestini, ubi ingressus intestini ilei in colon & cæcum.



- D. Alter flexus crassorum intestino-  
rum seu primus coli, hepaticus.
- E. Flexus lienaris.
- F. Reflexus in dextrum hypochon-  
drium usque.
- G. Flexus lienaris alter sub priore  
compressus.
- H. Reflexus in superiora sub parte  
F. G, ut punctis notatur, ab eo-  
demque valdè compressus. Cellu-  
lositate fortissimâ ubique, & un-  
dique, hic flexus accretus erat;  
maximè autem ad superiora &  
latus externum renis.
- I. Reflexus coli versùs inferiora.
- K. Flexus ejusdem iliacus.
- L. Flexus exiguus in superiora.
- M. Ultimus flexus rectum formans.
- N. Rectum. Decem flexus numeravi-  
mus.

Thoracem primò aperiunt, mira-  
bamur diaphragma plurimùm in sinistro  
thorace protuberare; sed postmodùm  
tantam intestini reflexi toties molem  
intuiti, mirari destitimus. Ipsum hoc  
causa morborum in vitalibus partibus  
multiplicium existere posset, quos pro-  
topathicos falsè crederemus. An mor-  
bus sinistri hypochondrii, non rarò  
incurabilis, in quo fervor quasi aquæ  
ebullientis,



ebullientis, borborygmoreque sonorum mugitus, observantur, simili causæ tribuendus? An non indè horum ægrorum cordis palpitatio, insultusque asthmatici, dum aut fœce, aut flatu, aut utroque, colon turgescit, intelliguntur?

---

FIG. IV.

Ventriculus, cæcum, & colon, mulieris; cujus historia data *Rat. Med. part VII. cap. II. §. I.*

- A. Ventriculus mediâ suâ sinistrore parte magnus.
- B. Idem ex magnâ amplitudine mox contractissimus.
- C. Pylorus. Via inter B. & C. paucillùm aperta duntaxat, præ corrugatione villosæ maximè tunicæ.
- D. Duodeni principium.
- E. Cæcum intestinum cum inserto ileo, & cum suo vermiculari processu, amplissimum hoc, ut coli principium.
- f. Flexus coli primus.
- F. Flexus ejus alter, hepaticus.
- G. Flexus tertius.
- H. Quartus.
- I. Quintus, lienalis.



K. L. M. Ne figuram literæ turbarent, has tres à latere interno adscripti: ab I. ad K. flexus sextus: ad L. hoc sic flexum intestinum, flexum suum, eumque septimum, continuando, sub se ipso decurrit, & ad M. emergit; & format mox flexum octavum.

N. Flexus nonus.

O. Flexus decimus.

P. Ultimus.

Hic verum volvulum intestinale videmus cujus tamen symptomata in vitâ non apparuerunt: quin imò laxior feminae alvus, pluriusque, etiam sub vitæ finem, diarrhœica diù fuit. Ubi tamen ileus lethalis indè natus est, videmus fidem adhibendam auctoribus, qui tale quid se invenisse scripserunt. Cur in cunctis his figuris, quas habeo, aliis, longè frequentius est coli intestini adaucta moles & altitudo, quàm in latere dextro? An impediente magnâ mole hepatis, intestinum hoc flatu distentum, adeoque & ampliare, & elongare se se annirens, locum aptiorem nanciscitur: liene sæpè ab arcu costarum sinistrarum remoto, & ventriculo in suâ inanitate minùs hoc quasi vacuum replentè? An ideo in sinistro



hypochondrio illa incommoda frequentiora, de quibus in *fig.* mox hanc præcedente, sub finem, egi?

---

T A B U L A I V.

Intestinum cæcum, cum coli principio, hominis, cujus tympanitidis atque ilei morbi historiam dedi *part. II. cap. V.* ob rei mirabilitatem totam intestinorum cum tenuium, tum crassorum, molem servavi: cum autem in hoc *XI parte* toties de tympaniâ & ileo sermo sit, addo hîc effigiem coli, & principii ilei, eâdem exactè magnitudine non quâ olim fuit; nam in dies magis corrugatur, & plicatur; sed quâ nunc est.

Quò quis de hâc figurâ ritè iudicet, oportet cum recenti intestino eandem conferre; exsiccatione enim multa mutantur. Figura *Tulpii & Heisteri & Morgagni*, exhibent intestinum recens; ut & illa magni *Albini*, *Exerc. Acad. tom. III. tab. V.* quæ instat omnium est. *Bidloi* autem figura de inflato atque exsiccato intestino desumpta est. Mea est intestinorum morbo



inflatorum , dein post exsiccationem cum spiritu terebinthinæ sæpè illitorum , contra teredinem , quæ nihilo minus pluribus in partibus hæc intestina jam corrodit.

In recenti intestino quævis flatu naturali se habentes conspiciuntur partes : in inflato , atque exsiccato , plus minus degenerascunt. Sed ipsæ hæ degenerascentes partes rerum intellectum faciilitant , illustrantque , ortum exhibendo , & nexum valvulæ , habenarumque ejus , & modum quo coli cellulæ formentur , ligamentorum rationem , decursumque : ac tum demùm machinæ hujus admirandæ structuram , usumque capiemus , quandò nihil ex recenti citrà exsiccata , nihilque ex hac absque illâ , concluderimus. Sed & ipsa , quam exhibeo , figura , in pathologicis conferet ad explicandum vomitum , haud sæcum duntaxat , quæ , ut vidimus , ex ipso intestino ileo prodire queunt , verùm etiam clysmatum , atque suppositoriorum , quæ in rectum intestinum immissa impositave fuerant : tympaniticâ scilicèt intestinorum dispositione , valvularum rictum ità distrahente , ut quæcumque in intestinis crassis hospitabantur , commodè



nunc in tenuia transeant. Quapropter haud absque ratione celeb. *Haguenotus Acd. Reg. Sc. Part. anni 1713.* censuit iteratis nimium clysteribus, vix effluentibus, colon, cæcumque dilatari, sic ut valvulæ ora diducantur, formentque hiatum: id quod profectò in hujus morbi pertractatione summoperè est attendendum. An in omni stercoreum cum clysmatibus vomitu quid simile contingeret? Numquid vomitus enematum, colique fæcum, non fieret, minùs expanso cæco, adeoque valvulâ se naturali modo claudente? Verùm contrà, coli valvulam, non expanso multùm cæco, superavit aqua in humano cadavere in anum injecta per machinam italicam. *Rat. Med. part. VIII. cap. V.* Ergone violentia jactûs per hanc machinam exercitata, eâ longè superior, quæ ab enemate, inverfoque peristaltico motu fit, valvulam cedere cogit? Et an valvulæ resistantia tanta est, ut, sine violentâ expansione cæci ac coli intestini, vi enormi hujus machinæ, ut cedat, indiget? Imò ut etiam bis validissimam ejusdem potentiam eluserit? Cæterùm ut quæcumque partes musculosæ duplo, decuplo, uno, quàm alio in



270 RATIONIS MEDENDI  
homine valentiores ad agendum, resistendumque sunt, idem de nostrâ valvulâ statuamus oportet. Superari autem cum vitæ integritate posse, & exemplo eorum, qui olim post enematum vomitum in sanitatem redierint, & eorum hominum, canumque, qui aquam in anum injectam vomitu reddiderint, constat.

---

*Explicatio Figuræ.*

- A. Fundus sacci cæci.  
B. B. Sacci dilatatio, cujus in maximâ amplitudine diameter sex pollicum viennensium est, qui faciunt Rhenolandia pollices sex, cum lineâ unâ & duabus tertiis; pollices parisienses sex, minùs duabus lineis; londinenses sex cum tribus lineis; palma di Roma octo & ferè dimidium. Utor portò pede viennensi perpetuò.  
C. C. C. C. Ligamentum primum, & alterum, quod propriè unicum origine est, unâ cum tertio ligamento, dicto mesocolico; etenim in parte aversâ sacci cæci, quæ



PARS UNDECIMA. CAP. V. 274  
hîc demonstrari non potest, tria  
hæc ligamenta in hoc intestini  
cæci sacco unâ nascuntur, inque  
tria tunc dividuntur: quorum pri-  
mum & alterum conspectui hîc se  
offerunt, tertium mesocolicum  
eâdem, qua duo priora, origine  
natum, solitarium decurrit ante-  
quàm mesocolon intestino adnasci-  
tur; & non modò contrahit, sed  
efficit ut in internâ coli parte  
stria appareat, quæ ad lit. D.  
visitur.

D. Ad hoc ligamentum valvula ter-  
minatur.

E. E. E. E. Fenestra excissa ex cæco  
& colo, ut interiora pateant.

e e e e e e e e. Circumferentia valvulæ  
coli magnitudinem, adeoque &  
veram amplitudinem intestini ilei,  
cujus unius proles valvula est,  
determinans. Summa inferioris val-  
vulæ partis altitudo est pollicis  
cum quatuor lineis; superioris au-  
tem est undecim linearum.

f f f f f f f f. Totidem frænes, seu habe-  
næ, quæ valvulam moderantur.

G. Valvula ordinaria coli, quales  
numerosas, & aliquas hâc duplo  
eminentiores, tria coli ligamenta,



572 R A T M E D. P A R S U O D E C,  
intestinum contrahendo, formant.

H. Hiatus tympaniticus valvulae, dextrâ aspicientium parte paulò rotundior; lævâ, paulò acutior: in latitudine pollicis & octo cum dimidiâ lienarum, in majore altitudine lienarum septem.

I. Apertura appendiculi vermiformis.

K K K K K. Colon intestinum hîc adeò leviter contractum, ut inter primum alterumque ligamentum ferè vesicam repræsenter, cum relictis tantummodo contractionis vestigiis. Cur tamen longè contractius est versùs B B.? Ill. vir *Hallerus*, *Elem. Phys. tom VI. pag. 143.* » Major, inquit, solet » esse cellula quæ inter nudum » anterius ligamentum est, & mesocolicum ». Sed hîc etiam inter ligamentum alterum, omentale illustri *Hallero* dictum, & mesocolicum, sic se habet.

*Finis Partis undecimæ Rationis Medendi.*

























Fig. I.




Fig. II




Fig. III.







Fig. IV.

















ANTONII DE HAEN,

MEDICI HAGA-BATAVI

HISTORIA

ANATOMICO-MEDICA

MORBI MIRI ET INCURABILIS

Medicos, juxta probatas Artis regulas  
exactè ratiocinantes,

P E S S I M È F A L L E N T I S,



P A R I S I I S,

Apud P. F. DIDOT, Juniolem, Bibliopolam,  
ad Ripam Augustinorum, Propè Pontem Sancti  
Michaëlis, sub signo Sancti Augustini.

---

M. D C C. L X I X.

*Cum Approbatione & Privilegio Regis.*



AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION

MEMBER OF THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION





VIRO DOCTISSIMO  
EXPERTISSIMO  
GERARDO VAN SWIETEN,  
MED. LEYDENSI FAMIGERATISSIMO  
S. P. D.

ANTONIUS DE HAEN,  
MEDICUS BAGA-BATAVUS.

*OPUSCULUM* edo, quod neque  
*historiæ delicias nec cultioris latii*  
*amœnitates* habet. Forsan & de-  
decori mihi summo cedit, quum  
novem annorum *praxis medica*  
*vix ità aptare queat, formare*  
*medicum, ut difficillimæ ac labo-*  
*riosissimæ arti quidquam addere vi-*  
*deri possit: quippè qui ter quater-*  
*que beatum semet existimet oport-*  
*tet, dum in medicinâ neophytus,*  
*ac paulò plus quàm hesternus,*  
a ij



ij

præcipuis ejusdem adminiculis, ac pulcherrimis antiquorum inventis, uti fruique poterit. Atqui tamen insoliti historiâ morbi breves hæc commaculare pagellas audeo, nec certò hinc suborituras cavillationes vereor; siquidem suadente, adhortante, imò & instigante Te, id operis susceperim; Te, inquam, quem quotquot summi Boerhaavii discipuli esse gloriamur, ceu alterum, ac redivivum Boerhaavium, venerabundi salutamus; quem ingentis viri aphorismos practicos luculentis atque virissimis illustrantem commentariis læti intuemur; cujus proindè suasum atque adhortationes, non maxime venerari, eisve auscultare, nequeo. Fateor enim suavissimam Boerhaavii memoriam, quem fors heu nimium dira! oculis immature sustulit, toties refricari mihi, dum germanum Te, fidelissimumque ejus discipulum, magis



atque magis experiar. Quod profectò eò nosco intimiùs , quia frequentissimo literarum commercio Tecum quotidie de morbis , abditisque eorum causis , disserere ; atque in eorundem tenebris elucidandis , superandisque difficultatibus minùs dixerim amicam , quin potius paternam , opem experiri contigit. Ex quâ utique conversatione nostrâ literariâ profectum est , ut , cum adnotata mea practica examinanda Tibi , emendenda subicere consueverim , mihi auctor fueris hancce qualemcumque dissertatiunculam publici juris facerem. Nulla ergò scribendi prurigo ; sed sola tuæ , Vir summe , auctoritatis veneratio , eò animum impulit meum. Cogitasti forsitan hanc dissertationem , ut ut rudem atque incomtam , insolitas tamen abditasque naturæ vias demonstrantem , veris Apollinis filiis haud penitùs displicituram. Intelligent saltem me ,



*si minùs bona adferam, bona nihilominùs conamina edere; eòque totis contendere viribus, ut immortalis Boerhaavii, id est Hippocratis, id est, naturæ ipsius, vestigiis pressè insistam. Favente Deo, & alios complures casus observatos mihi, inque doctrinæ ordinem digestos, typis evulgabo, ut mihi auctor es; modò quotquot in arte boni sunt, (cavillatores enim invido dente odiosos non est quod morer) hujus dissertatiunculæ non stylum, non minus exacta forsàn ratiocinia, sed benevolum meum ergà proximum animum, utcumque comprobarint; quæque vitiosa dextère, quo animi candore pollent, in sinceræ tesseram amicitiae mihi indicarint. Vale! Decus artis ingens, teque seros in annos T. O. M. D. conservet incolumem, nec unquam me desinas favore atque amore prosequi tuo!*





# HISTORIA ANATOMICO-MEDICA

MIRI ATQUE INCURABILIS MORBI,

Medicos juxtà probatas Artis exactè  
ratioeinantes

PESSIMÈ FALLENTIS.

**H**AUD ità pridem vocatus fui ad  
feminam quinquagenariam, satis toto-  
sam, scorbuto lentiore laborare inci-  
pientem, menstruo fluore à 45. ætatis  
anno catentem : corripuerat eam assi-  
duus, isque copiosus, albus fluor ali-  
quot abhinc annis; qui simul cefsârat  
integrè ex quo describendus mox mor-  
bus oriretur. Quam porrò me accerci-  
ret, dolorem totius abdominis conquie-  
rebatur, vinculumque ceu toti ventri  
circumstrictum, ac prostratum appeti-



## 2 MIRI ATQUE INCURABILIS

rum. Debilè micabant arteriæ, alvuf-  
que fuprà modum ftyptica erat. Nec  
ignotus mihi peffimus feminæ mos, po-  
tibus fpirituofioribus abutendi; quum  
jam tribus abhinc annis per aliquot dies  
ipfi medicus adfuiffem; licèt quo tunc  
malo decumberet penitùs oblitus fim.  
Jam verò & maritus, clàm, me mo-  
nuit, uxorem fpiritus deftillatos de-  
teftantem, ad vini rubri adstringentis  
abusum peffimè deflexiffe; quam rem  
& ipfa ultrò faffa eft.

Occœpi ergò abdominalium obftru-  
ctionem vifcerum cogitare, licèt quale-  
nam iftud foret nondùm mihi liquidò  
constaret. Colon faltem ex indicatu nar-  
raturque patientis fuas agebat partes.  
Dubium etiam numne ftringens vinum,  
fpirituum fermentatione paratorum abu-  
fui fubeuns, album fluxum penitùs co-  
hibuiffet? Hincque interiora pejùs effent  
affecta.

Deoppilanda ergò dùm indicarentur  
vifcera, lenia primùm deobftruentia,  
lento fimul fcorbuto profutura, præ-  
fcripfi. Scilicèt paratas pilulas ex fa-  
pone veneto; rheo, fale tartari, poly-  
chrefto, & ammoniaco gummi. Quibus  
lentè incifa & difcuffa materies pur-  
gante ex rheo, & manna expellebatur.



## MORBI HISTORIA. 3

His equidem tantùm de violentiâ morbi demtum fuit, ut medio Novembri patiens cum marito per binos sibi subsequentes dies publicis ad solennibus epulis interfuerit; licèt serò vespere pejùs haberet.

Verùm paucis post diebus lumborum, ac lateralium abdominis partium suborti dolores. Urina parcior, ac sæpè nulla; quæ reddebatur subalba fuit, cum albo, tenaci, ac glutinoso sedimine. Nauseæ continuæ vomitusque. Lenta febricula. Nulla alvus. Quare ad colicam nephriticam cùm videretur morbus accedere, præscripsi *Petri Foresti* decoctionem cum mannâ foliisque alexandrinis, injecto priùs, at frustra, enemate uno alterove. Resolventia quoque emplastra dolenti utrinque laterali abdominis parti adhibita sunt. At ne vix quidquàm opitulante decocto, mirè posthoc enemata profuère. Undè largior exindè fluor alvi, lotiumque paulò copiosus, rem sensim in melius mutaverunt.

At hæc tantùm paucorum induciæ dierum; siquidem deinceps etiam cum copiosissimâ alvo omnia exacerbarentur & urina integrè ferè subsisteret.

Hanc ob causam, quum viæ lubri-



4 MIRI ATQUE INCURABILIS  
candæ , ac simul pellendum lotium in-  
dicari mihi viderentur , misturam præ-  
scripsi ex aq. petrosel. fenic. syr. v.  
rad. ol. amygd. tinct. succ. ; enemate  
subindè injecto , ubi alvus deerat. Mi-  
sturæ usui interpolandum suasi subindè  
vini mosellani vel rhenani levioris  
haustulum. Levia equidem hæc , at bre-  
vissima , dedere solatia.

Quum verò malum continuò recru-  
desceret , atque vomitus frequentior ,  
laboriosiorque in dies contingeret , so-  
cius mihi vir in arte clarus adjunctus  
est. Eo autem primâ vice rem mecum  
examinante , minor ad lumbos , ad hy-  
pogastrica loca major dolor adfuit ; in-  
gensque deprehensa suprâ pelvim pro-  
tuberans eminentia. Undè nata ipsi sus-  
picio ne fortè urinaria vesica lotium in-  
trâ sese detinens dysuriæ causa existe-  
ret. Quæ res cathetere explorata falsos  
in opinione medicos docuit ; paucis vix  
guttulis ex vesicâ deciduis.

Porrò cùm emendanda dysuria , ac  
metuenda hinc putredo corrigenda vide-  
rentur præscriptum fuit apozema ex  
tamarindis , lapatho acuto , & poly-  
chresto sale. Indè quotidie , ( scil. per  
iv. subsequentes dies ) urina ad vij ,  
vel viij. uncias demissa , crassa , cum



## MORBI HISTORIA. 3

mucoso, sub albido, inæquali, flocculento, sedimento. Alvus iterim vix ulla; vomitus assiduus; & percepta ad vij Decembris sicca dolorifica, vexans continuò, tussicula. Neque ultrà vel hilum ventriculus detinuit; at ejecit quævis alimenta, vina, medicamina, ipsaque etiam opiata. Epithemata idè applicata ventriculi regioni, cui rubræ rosæ ac cinnamomum incoxerant; sed vix juverunt.

Interim alia apparuit morbi facies. Tumor namque jam haud ità suprà ossa pubis, verùm ad binorum digitorum latorum distantiam suprà umbilicum conspectus in principio quidem parvus, nec multùm distinguendus; at sensim magis magisque prominens, ad usque cartilagineum ensiformem: ità ut quatuor circiter pollices altus, & quinque pollices latus conspiceretur.

Atque hoc circiter tempore tertius medicus, ægrotantis cognatus, consulendi gratiâ adfuit, sæpiùsque nobiscum, quo toto tempore dein morbus perduravit, suprà miserandam ægritudinem contulit.

Itaque rem seridè volutantibus animo jecinioris affecti nata suspicio; quum & locus quodammodo id indi-



7 MIRI ATQUE INCURABILIS  
caret, & pressis hinc ventriculo py-  
loroque, vomitus continuus oriri vi-  
deretur. At nullus interim icterus;  
ità ut minùs probabilis, hæcce vide-  
retur sententia. Jam iterùm in pingue  
illud, ( quod circà orificium ventriculi  
inania opplet loca, fovendoque ac  
lubricando egregiam eidem opem præ-  
stat ), conversi oculi: quippè pluri-  
mùm eminebat is locus, & tumor per  
mox descripta divagabatur spatia. Præ-  
sto & exempla aderant famosorum in  
hâc urbe virorum, quos, ( ubi eâdem  
symptomatum Lernâ divexati diù mul-  
tùmque fuerant ), tumor ibidem loci  
foras apertus ità percuraverat, ut illi-  
batâ sanitate deinceps fruerentur.

Conspicuo ergò tumore, duroque, ac  
foras magis atque magis eminente, con-  
stantibus interim patientis viribus, com-  
muni consilio sancitum fuit ad maturita-  
tem tumorem esse perducendum: cui sco-  
po cataplasma profuisset, ni respuisset  
illud ægra: undè galbanum vitello ovi so-  
lutum emplastri applicitum formâ. Ob-  
stinatam alvum eclegma ex oleo amygd.  
cassiâ & mannâ subindè solvit. Quum ap-  
positum galbanum per vj dies vix quic-  
quàm mutasset, impositum fuit cata-  
plasma adornatum ex lini & althææ



farinâ , oleo raparum , & galbano pulv. Hoc porrò per sex alios dies adhibitum , fluctuantis in tumore materief incrementum videbatur docere. Tumor sensim plus circumscriptos intrâ terminos definiti visus ; itâ ut cysticum esse passim affirmaremus omnes. Advocatus quoque dexterrimus chirurgus nostro rogatu uno alteroque die nunc jacentem ægram , nunc sedentem sedulo examinans , reverâ cysticum asseruit tumorem ; ac qualem intrâ sese gereret materiem se adhucdum ignorare.

Utcumque ergò collabascere viribus incipientibus , aperiendi tumoris unanime votum fuit , idque esse instrumento *troquar* dicto peragendum ; ut post eductum instrumentum manente cannulâ commodè exiret materies ; locum autem esse eum qui plusculùm mollescebat & eminebat , & minùs discriminis à vasis hypogastricis ad mammâs tendentibus dabat : scil. ad duos digitos latos à lineâ albâ , & paulò infrâ spurias costas in latere dextro.

Quinta Januarii instituta operatio fuit , ac mox penetrante instrumento rubellâ aquâ vi profiliit , ultrâ decem pintas. Flaccidior tunc tumor apparuit , neque tamen disparuit omninò ;



8. **MIRI ATQUE INCURABILIS**  
eductâque cannulâ, abdomen latâ con-  
strictum fasciâ fuit. Cur verò educe-  
batur cannula, hæc ratio fuit, quod  
materies educta haud admodum pro-  
gnosi faveret; metumque incuteret ne  
quid intùs nostri aleretur. Quin &  
re id poscente, facilè aperiri denuò  
poterat locus. Interim lætitia ingens  
ægram perfuderat, quod multùm se le-  
vari sentiret.

Redux ego cum chirurgo octo cir-  
citer horis ab institutâ paracentesi,  
lætam salutari ægram, narrantemque  
audivi se jura carniùm, se vini pauxil-  
lum, sumsisse, nec revomuisse quic-  
quam. Reddiderat urinam ullâ absque  
molestiâ ultrâ semipintam, colore ci-  
tream, minime turbudam: vires multò  
quàm antea majores. Nox quoque sub-  
sequens solito tranquillior fuit: ut pro-  
fectò nonnihil spei animo reconderem  
fore ut utcumque convalesceret; licèt  
aqua fusca rubella metum penitùs haud  
excluderet.

Præter sitim paulò intensiorem die  
Januarii sexto omnia æque favebant.  
Siti moderandæ commendabam vini  
rhenani aquâ diluti usum. Madescere  
quoque hâc die cœpta lintea arque  
emplastrum, vulneri imposita; vulne-



ris autem ne minima quidem inflammatio.

At verò septima Januarii alia, eaque tristissima rerum facies. Abdomen æquè ferè turgidum, quàm ante paracentesimam, at intrò contenta materies magis in aquæ fluctuans erat. Totus humescebat lectus effluente per foramen humore. Vires imbelles admodùm, constipataque cum tenesmo alvus. Urina parcissima, crassa penitùs subalbidaque. Enormes vomitiones, sitis ingens. Ejulanti præ dolore tenesmode enamaque rogi-ranti, illud facilè concessimus. At jam facilè cernebamus omnes effectum quidem mali sublatum à nobis esse, causam verò neutiquam; hincque feminæ summoperè metuendum esse. Nec viribus prospicere erat, quum vix deglutita guttula mox ore redderetur.

VIII, IX & X Januarii, idem rerum status, majoresque angustia. Gelidam ad usque situlas miserabili voce cum flagitaret, minimam guttulam assumptam ilico rejecit. Vulneris necdùm ulla phlogosis. Ichor tam copiosus adedò hisce diebus perfluxit, ut vel stramen lecto suppositum madesceret. Tandem inter inexplicabiles angustias, mente præsens, nocte mediâ quâ 12 Janua-



10 MIRA ATQUE INCURABILIS  
rii inchoaret ; animam ærumnis defa-  
tigatam Creatori reddidit.

Posterâ die nudatum corpus intuitus  
sum. Turgidulum erat abdomen , spu-  
que ore assiduo projecta faciem to-  
conspurgabat.

XIV. Januarii cadaver dissecuimus:  
ichore copiosissimo per foramen infimo  
ventri inflictum , prius educto , ne in  
dissecando turbaremur. Hujus copio-  
sissimi equidem ichoris capere pondus  
mensuramque nequivimus , quia festi-  
nata opus fuit.

Torositas , hydropem *ἀνοσπυκία* mi-  
nimè referens , attamen solito flacci-  
dior , toto in corpore deprehensa. Ad  
abdomen panniculus adiposus aliis in  
locis pollicem , digitum in aliis , crassus  
visus.

Ubi quadrifariam diviserat abdomen  
sectio crucialis , primo equidem intuitu  
videbatur videre ventriculum ipsum  
medio in abdomine ad pollicis ferè di-  
stantiam suprâ umbilicum. Verùm atten-  
tiùs introsipientibus , quod ventricu-  
lus credebatur esse , ipsum esse omen-  
tum evidenter apparuit. Illud namque  
suo loco hærens in tam compactam va-  
stamque molem abiverat , ut duos digi-  
tos latos crassum ferè ubique existeret ,  
nisi



MORBI HISTORIA. II

nisi quod in ambitu paululum gracilefceret. Tactus deprehendit nihil, præter vastam hanc ac semiputridam massam. Monstruosi hujus corporis ope ventriculus ac colon, duodenum quoque ac jejunum, in unum coaluerant corpus; ut non, nisi destruendo, divelli à se invicem possent. Contractus admodum parvusque ventriculus. Pancreas skirrhosum. Hepar perquam magnum, skirrhosumque, acretum peritonæo fibris mollibus, facile dilacerandis, cætera durum tactu; sin verò vix ruditer attingeres, facile dividendum. Vesicula fella cum plena, tum magna; adèdè ut in fundo pollicem, in collo digitum lata, integrum verò digitum longitudine æquater. Intestina tenuia cum ventriculo, colo, epiplooo in unum ferè corpus coalita, spatium quàm minimum occupabant; dum interea tota quanta capacitas peritonæi (præterquam quod cæcum, & colon à liene descendens, contineret) inanis erat & vacua: in quâ profectò ingens illa aquarum copia hæserat. Cæcum porrò ac colon, haud leviter, ut sæpe fit, sed tam firmissimè erant peritonæo accreta, ut nullâ vi, nisi destruyente, separari possent. Fusco-ruber intestinorum



color: eorundemque durities coriacea, ut vel rudissimo attactu resisterent. Illud interim mirum quod peritonæum parte anteriore, quæ viscera spectat, parvis rotundulisque skirrulis hirtum instar corii *sagryn* dicti ubique conspiceretur: id autem sub diaphragmate minimè Mephitis adeò teterrima nares affecerat, ut vix triduo posthàc avolaret. Quæcumque viscera contrectabamur, mucos tenaci, lubrico, putrido, quasi perlita, deprehendebamus.

*Exercitationis gratiâ quæritur.*

- 1º. Quænam fuerit morbi causa remota?
- 2º. . . . . proxima?
- 3º. Quæ origo variorum in eodem observatorum phænomenon, nempe,
  - A. Vomitus?
  - B. Urinæ suppressæ vel difficilis?
  - C. Alvi obstinatæ?
  - D. Doloris?
    - a. In superiore abdomine?
    - b. Ad lumbos?
    - c. Ad ilia?
    - d. Ad medium inferum abdomen supra pelvim?
  - E. Insomniæ?
  - F. Frigoris?
  - G. Tussiculæ?
  - H. Accretorum sibi invicem, viscerum?
  - I. Hirti peritonæi?
- 4º. Cur omnes decepti fuimus?



5°. Quanam ex his in praxi utilitas elicienda?

6°. An errore nostro citius perit?

» *Qua causa morbi pradisponens fuit?*

R. Menstruorum cessatio hinc utique non considerata erit; ea siquidem ad 45. ætatis annum perdurant, quo tempore in plurimis innoxie cessare consueverunt. At verò quod iisdem cessantibus nunquam sibi venam pertundi voluerit, ut ipsa mihi retulit, hoc forsitan citrà culpam non tulit: sed de his nil certi scimus.

Abusus autem spirituum fermentatione paratorum inter primarias causas referendus: hi namque spiritus.

1°. Motum humorum augendo liquidiora dissipant, figunt crassiora.

2°. Quum vitæ viribus non superentur, ipsos humores acres reddunt.

3°. Insinuando se inter solidarum partium interstitia, has solidescere faciunt: quo autem sunt minora vasa, eo pejus malum; nam omnia rigida sunt.

Ab omnibus hisce causis solida magis magisque rigescunt, & spissescunt fluida. Augetur hujus mali gradus, quo spirituosorum abusus diuturnior ac copiosior fit. Si simul hinc ingens acrimonia oritur, augebitur humorum motus, & tenerrima



14 MIRI ATQUE INCURABILIS  
vasa facile frangentur. Tùm & in va-  
sis minoribus arteriosis obstructio fit à  
crasso fluido, tranare per vasis angu-  
stiam non potente. Liquida quoque de-  
nuò ingesta & vasis exceptâ, spissis &  
quasi solidis humoribus vix miscentur,  
sed per resin, diapedesin, &c. tenerio-  
rum vasorum, in cava corporis depluunt.  
Obstructio porrò magis apta nata est  
fieri sub diaphragmate, quàm suprâ  
illud: quum juxtâ leges hydraulicas mi-  
nùs mobilia, adeoque vi cordis proje-  
ctili magis resistentia, in aortam des-  
cendentem intrent.

» *Qua causa morbi procatartica?*

R. Vini rubri adstringentis creber ac  
diuturnus abusus. Ubi enim primò spi-  
ritibus distillatis corpus aded à sano de-  
generavit, vinum (præterquàm quod  
sat notabili alcoholis copiâ refertum  
idem segnius faciat, quod maturius effi-  
ciunt spiritus) vinum, inquam, rubrum  
partibus suis terreis, adstringentibus  
dictis incrassando humores, obstruendo  
vasa, ipsaque vasa in suâ substantiâ so-  
lidiora reddendo, forsan effecit ut,  
præter morbi ipsius incrementum, al-  
bus quoque fluor substiterit. Is enim  
cessavit ex quo morbus, prout à prin-  
cipio depingitur, obortus fuit,  
Albus itaque fluor (ut in feminis



MORBI HISTORIA. 15

spirituosorum usui deditis observatur) in ejusmodi corporibus oritur; eo quod humores eum in modum crassescunt, ut cum iisdem intimè misceri ultrà nequeant alimenta aquosiora. Ergò vappida, inertia, minimèque globosa, vi cordis systolicà ad superiora ferri inepta, per aortam descendentem, imò & per ejusdem ramos à centro motùs remotiores amandantur, atque ità per uterina vasa, utpotè fluxui humorum cedere apta nata, de corpore eliminantur.

Qui porrò vappidorum humorum è corpore secessus sæpè hinc feminis admodum fortunatus deprehenditur: quum, eo cessante, vel infasto medicamine curato, dirus observetur contingere hydrops; materie jam intrà corporis depluente cavitatem, vel affusa visceribus. Hicque profectò nostræ fuit agrotæ status.

Olei autem à sanguine secretio interim hinc videtur expedita fuisse: quum corpus externum adhuc satis torosum manserit, ut suprà innuimus, & maximè constitit in portentoso omento, quod, ut sui muneris est, oleum à sanguine cæliaco continuò quidem exceperit, verum id obstructo jecinori tradere impos, in tam immensam excreverit molem.



» Undè vomitus ?

℞. A presso ; adeoque se ob enormem hepatis omentique , atque aquarum molem , explicare nequeunte ventriculo.

» Cur suppressa urina ?

℞. Ab ingenti pressione effusorum humorum ad renes , pelves , ureteres , imò & in ipsam vesicam.

» Cur segnis adeò laboriosaque alvus ?

℞. 1°. Ab eâdem causâ.

2°. Ut locus pro locandis hydropticorum aquis sæpè varius observatur , ità hîc aqua , maximè hærens ab umbilico ad usque pelvim , sursùm truse- rat omnia ferè intestina : quæ sic exiguò reclusa spatio in motu suo peristaltico admodùm impedita fuère.

3°. Intestina diù hærentia in effusis abdomen humoribus , sæpiùs observavi , nedùm flaccida , sed planè coriacea esse ; quia & transpiratione propria naturali , & incubante rore , qui in cavis corporis semper præsens est , caruerunt , quod & planè hîc contigit : itaque sic sensim imminutus fuit , quem peristalticum vocamus , motus.

» Quanam doloris origo in epigastrio ?

℞. Arctissima hepatis , lienis , pancreatis , ventriculi , omenti , horizon-



talis partis coli, omniumque tenuium  
intestinorum, in sese mutuò, appressio.

» Undè ad lumbos dolor?

R. A vi ingenti quâ moles aquarum in musculos psoas, quadratos lumborum, in nervos lumbares, renes, pelves, ureteres, ac diaphragmatis appendiculos, incubuit.

Cur idem ad ilia?

R. 1<sup>o</sup>. Ab eâdem causâ.

2<sup>o</sup>. Cæcum intestinum hinc, illinc colon à liene descendens atque in rectum abiturum, lata basi, adeò firmiter peritonæo cohæferant, ut nullâ indè vi avelli possent. Vis itaque aquarum peritonæum vehementer extendens, simul extendit accreta colon & cæcum: undè profectò ingens, ac ferè dilacerans dolor nasceretur oportuit.

» At cur jacente ægra, adeòque inferiori abdomine minùs extento, similis dolor?

R. Eo in situ humores effusi intestina aliaque abdominis viscera, unâ cum diaphragmate, fursùm trahere: undè colon & cæci sacculum puncto fixo accreta violentè trahi, elongari, ac ferè dilacerari, necesse fuit.

» Quamobrem subindè acutè doluerit in medio hypogastrio suprâ pelvim?



18 MIRI ALQUE INCURABILIS

R. 1°. A pondere incubentis aquæ in hunc locum.

2°. Assumendum hîc quidquam videtur, quo hunc nodum extricemus. Etenim spasmodica constrictio videtur statuenda esse quæ epigastrium hoc eodem tempore compresserit, nam ipso tactu epigastrium tunc minùs turgens apparui: secuti in solutione argumentorum pag. 21. ferè ad finem patebit ejusmodi adfuisse constrictio in hypogastrio, quæ aquam per vulnus determinavit: tunc enim temporis intuebamur abdomen inferiore parte parùm admodùm tumidum.

» *Quare verò tunc vix ullus ad ilia dolor?*

R. Moles eadem hoc tempore sæpè tam fortiter compressit ilia, ut sensus eorundem obscuratus fuerit.

» *Atqui cur eodem tempore in solâ mediâ parte prominulum hypogastrium?*

R. Crassa intestina utrinque accreta & connata peritonæo rigida ità & coriacea fuère, ut impedimento essent, ne abdomen iis in partibus tam violenter extenderentur.

» *Cur ferè omnia abdominis viscera sibi invicem accreta firmissimè?*

R. Quia etiam ante hydropem natis



ubique obstructionibus deficere debuit blandus ille ros, quo solo impediuntur vicina sibi viscera inter sese con-  
 crescere. Id ubique observatur in corpore; maximè in pulmonibus: qui utcumque leviter obstructi, tamen cum membranâ succingente costas passim concreti observantur. Verùm præterea ipsa viscera seu in ipsâ suâ substantiâ, seu ab acri allabente lymphâ ichoreve in suâ superficie corruptâ ac tabidâ, quàm facillimè cum vicinis similiter affectis coalescere potuerunt.

» *Undè perpetua insomnia?*

R. 1°. Ab acris humoribus per metastasin ad superiora raptis, adeoque encephali partes tam teneras jugiter irritantibus.

2°. A perpetuâ jactatione corporis in alium atque in alium situm, præ enormibus anxietatibus, vomitibus &c. &c.

» *Cur frigus?*

R. A lentore quo humores per vasa undique pressa circuierunt; nam à motu calor est.

» *Undè inanis molestaque tussis?*

R. 1°. A compressis thoracis visceribus præ mole abdomine contentorum.

2°. A metastasi acris putridæ quæ ma-



20 MIRA ATQUE INCURABILIS  
riei in pulmones ; undè & skirrhulos  
ibidem nasci oportuit.

» Quare infinitis refertum skirrhulis  
» peritonæum ?

℞ Ab eâdem metastasi.

» Quam ob causam omnes tantopere  
» allucinati fuimus ?

℞. Ob tumorem conspicuum , sub  
cartilagine xiphoidè eminentem , ac  
tumorem cysticum planè referentem.  
Ut ut enim examinabamus , semper  
deprehendebatur.

1<sup>o</sup>. Ipso adpectu magis eminens.

2<sup>o</sup>. Ipso tactu distinctissimus.

3<sup>o</sup>. Lienem semper materiæ fluctua-  
tionem exhibens.

Atqui tamen ipsum illum tumorem  
omentum fuisse , vero quàm similli-  
mum fit.

1<sup>o</sup>. Namque majorem epigastrii pro-  
tuberantiam intestina tenuia , fursùm  
pressa , effecerunt.

2<sup>o</sup>. Epiploon , binos crassum digi-  
tos , his in unum compactis intestinis  
incumbens , protuberantiam vehemen-  
ter auxit.

3<sup>o</sup>. Figura hujus crassissimi epiploii  
in cadavere prorsùs eadem deprehensa  
est , atque tumor , qui falso credebatur  
saccatus esse , in vivente exhibuerat.



Objicies : tunc nunquam fluctuatio constans percepta fuisset.

R. Quoad fluctuationem, sanctè restor eam ità fuisse, ut si hodiè ad similem casum vocarer, iterùm ilico fluctuationem definito coërcitam loco videri affirmarem : attamen imposuit nobis,

1<sup>o</sup>. Protuberantis enormiter omenti figura.

2<sup>o</sup>. Ejusdem lenis ad percutientem manum recessus versùs latus oppositum.

3<sup>o</sup>. Crassities panniculi adiposi eò loci, distinctam rei perceptionem præpediens.

4<sup>o</sup>. Aqua forsan peritonæum inter monstruosumque omentum, fluctuantis materiei similitudinem augens.

Instabis. Si sic se habuisset res, utique aqua fusco rubello minime tam violenter, tamque copiosè effluxisset foramine superiori epigastrii loco intruso.

R. 1<sup>o</sup>. Paracentesis facta est sedente in lecto ægrâ : atqui tunc inferior abdominis pars ad femora pressa impediebatur, ne multùm prominere : ergò vis tota aquarum versùs superiora determinabatur.



2<sup>o</sup>. Constrictio spasmodica, in his sæpè observanda ærumnis, & de quâ pag. 17 & 18. sermo fuit, pro causâ assignari potest, cur infernè parum, supernè plurimum abdomen prominuit: Eaque profectò per aperturam aquas determinare debuit.

Instabis secundò. Longè faciliùs exponeretur casus dicendo adfuisse omenti hydropa, atque tùm paracentesi factâ profiliisse aquas.

℞. 1<sup>o</sup>. Vulnusculum nullum in omento observatum est, quo loco facta paracentesis fuerat; quod tamen apparuisset, si hinc dimanasset scaturigo.

2<sup>o</sup>. Quum eo usque cannula infixâ haut fuerit, aqua ex vulnerato omento in cavum peritonæi dilapsa fuisset; nequiquàm verò mox ab inflicto vulnusculo ità profiliisset. Nullibi enim erat peritonæo accretum epiploon.

3<sup>o</sup>. Longè angustior ex determinatâ figurâ erat omenti capacitas quàm ut decem integras humorum pintas contineret.

4<sup>o</sup>. Crassioris ac semicorruptæ pinguedinis ingens adedò massa fuit in omento, ut nullum pro locandis aquis spatium superesset.



» Undenam profiliēti aquæ rubedo?

R. A sanguine ipso, qui postridiē manifestè in urnis deprehensus est. Is enim neutiquàm vulnere facto creatus, siquidem vulnus neutiquàm ad vasa hypogastrica mox ad mammas abitura, pervenerit. Dein æqualis, intimèque permistus aquæ sanguinis apparuit, dum exiret. Ergò videntur vasa viscerum, præ lymphæ, cui innatabant, acrimoniâ, erosa ac semilacera sanguinem profudisse.

» Cur post operationem perenne rubella lymphæ stillicidium ex loco paracenteseos? imò & brevi ante mortem ingens fluor? Tum in cadavere aperturando tanta denuò ejusdem copia?

R. Perpluere pergunt vasa lymphaticâ perrupta, erosaque sanguinea, ubi semel continuitatis eorundem solutio facta est: idque eò abundantius, quo aquarum moles, quæ viscera vasaque corrupta adhuc sustentat, magis sublata est: sublata enim eâ, flaccescunt omnia & tabescunt. Fascia quoque lata abdomini circumstricta collectam materiem versùs aperturam determinavit.

» Quanam ex narratis utilitas elicienda pro praxi medicâ?

R. 1<sup>o</sup>. Ingens improbumque assiduò



24 MIRI ATQUE INCURABILIS, &c.  
studium, operamque navandam esse, ne  
humi unquam corpora mandentur,  
quos insoliti vis morbi sustulerit, nisi  
prius probè explorata sint.

2<sup>o</sup>. Miro fallendi modos naturæ  
esse, dum externa species hunc, inter-  
nus autem conspectus omninò alium  
morbum exhibet.

3<sup>o</sup>. Ridiculas, imo nefandas esse  
practicorum dirè inter sese belligeran-  
tium digladiationes: quæ sæpè tanto  
crebriores & odiosiores, quo difficilior  
ac magis dubia res est. Hic etenim ob-  
tineat aurea oportet regula Augustini.

*In certis unitas,*

*In dubiis libertas,*

*In omnibus charitas.*

» *An verò patiens errore nostro citiùs  
» perit?*

» *Minime, saltèm non multùm.  
Siquidem nec alimenti, nec potulenti,  
nec medicamenti titulo assumere quic-  
quam valens, nec somnum oculis un-  
quam videns, corruptaque tot nobilia  
viscera habens, brevi, certò, miserè-  
que interierit, necesse fuit.*

*Non fingendum, aut excogitandum;  
sed inveniendum quid natura faciat,  
aut ferat. Baco Verulam.*

**E I N I S.**



ANTONII DE HAEN,

MEDICI HAGA-BATAVI,

D E

DE GLUTITIONE,

*vel deglutitorum in cavum ventri-  
culi descensu impeditis*

DISSERTATIO.



P A R I S I I S,

Apud P. F. DIDOT, Juniolem, Bibliopolam,  
ad Ripam Augustinorum, Propè Pontem Sancti  
Michaëlis, sub signo Sancti Augustini.

---

M. D C C. L X I X.

*Cum Approbatione & Privilegio Regis.*



ANTONIO


MEDICINA

DEGLUTTIONE

DISESTASIA

M. DCC. LXXV





VIRO NOBILISSIMO  
CELEBERRIMO  
GERARDO  
VAN SWIETEN,

AUGUSTISSIMORUM IMPERATORUM  
Romanorum, Archiatro & Bibliothecario,  
totius Medicinæ per Austriam, &c. Præsidi  
perpetuo Acad. Scient. Reg. Paris. Mem-  
bro, &c. &c. &c.

S. P. D.

ANTONIUS DE HAEN,  
MEDICUS HAGA-BATAVUS.

*CONSIDERANTI mihi sæpe-  
numerò, atque animo dolenti ini-  
quam bonorum medicorum sor-  
tem, quâ contigit ut iidem tum ab  
suis, sive invidis, sive sciolis,*



*eâdem in arte sociis ; tum à cæteris  
 pænè omnibus mortalibus , vel ple-  
 beis , vel etiam litteratis , utrisque  
 tamen rei medicæ æque rudibus ;  
 quotidie laceffantur , expiantur  
 calumniis , condemnenturque ; im-  
 mò ut sagis , aniculis , circum-  
 scriptoribus quibuscumque , laudis  
 sæpè plus deferris , plus etiam fi-  
 dei , quàm medicis , soleat adhi-  
 beri , in mentem quandòque venit  
 magni Francisci de Verulamio ,  
 Vice - comitis S. Albani , An-  
 gliæque regni sub Carolo se-  
 cundo Cancellarii , hâc de re  
 sententia , libr. IV. de augm.  
 scientiar. » Ex hoc , dic sodes ,  
 » inquit , quid sequitur ? Nempè  
 » ut medici ità secum , quemad-  
 » modum Salomon in re gravio-  
 » re : Si unus , & stulti , &*



» meus eventus erit , quid mihi  
 » prodest quod majorem sapien-  
 » tiæ dedi operam ? Eccl. cap. 2. «  
*Suspiciaturque egregius auctor hinc*  
*proficisci , ut plures medicos aliis*  
*in artibus atque scientiis invenias*  
*excellentes , qui iidem magnâ eru-*  
*ditione in professione propriâ non*  
*clueant. Idque haud aliam ob-*  
*causam , quam » quod arbitren-*  
 » tur parum ipsis interesse , vel  
 » existimationem , vel ad lucrum ,  
 » utrum artis suæ mediocritatem ,  
 » an perfectionem in eâ majorem ,  
 » assequantur. Morbi enim tœdia ,  
 » vitæ dulcedo , spei fallacia , &  
 » amicorum commendatio , effi-  
 » ciunt , ut homines facîle in me-  
 » dicis qualibuscumque fiduciam  
 » collocent , &c. «. Talem profe-  
 do , Vir celeberrime , cogitatio-  
 nem arbitror abjectos subire ani-



mos illorum posse, qui officium  
 medici, atque dignitatem metiri  
 soleant famam, honore, pecuniis;  
 eorum verò, quos recta ratio, ma-  
 ximè autem quos religio guber-  
 net, nequaquam. Hæc quippè do-  
 cet nos, hæc nos cogit, animo  
 longè alio medicorum officium in-  
 tueri: esse scilicèt eos à divinâ  
 providentiâ eò destinatos, ut quæ-  
 cumque vitæ humanæ in sanitate  
 tuendæ, labentique resarciendæ,  
 quondam sint prodèsse visa hæc  
 illi, quâ sedulitate, atque accura-  
 tione, & possint, & debeant, co-  
 gnoscere studeant, satagantque  
 intelligere: quæ verò obscura,  
 quæve prorsùs latitent abscondi-  
 ta, hæc eadem eruere è tenebris,  
 ac memoriæ prodere, quovis mo-  
 limine pertentent. Lege porrò in-  
 violabili eosdem, id ut assequan-



tur, teneri. Futurum etenim diem,  
 cum supremus iudex, quæ cui-  
 que commiserit, confisusque ta-  
 lenta sit, cum scœnore sit repetitu-  
 rus. Quæ quidem attentâ qui-  
 mente considerat, nœ ille, optime  
 VAN SWIETEN, tum genero-  
 sè, tum alacriter, studio incumbet  
 medico. Te sanè hoc incedentem  
 tramite video, nocturno diutur-  
 noque labore in publica languentis  
 orbis commoda indefessè incum-  
 bentem, ætatem consumentem,  
 viresque. Hæc eadem viâ omnibus  
 pergendum, quibus & hominis,  
 & hominis christiani, versetur in  
 pectore animus. Conamen igitur  
 hocce meum cum arduum, tum  
 forsitan temerarium, æqui velis  
 bonique consulere; quod eodem  
 formatum principio, eodem con-  
 fectum animo sit. Morbum ratio-



rem quidem olim, nunc autem frequentiore observaveram, descriptum verè medicè quod sciam, à nemine, à nemine communicatum. Mearum proindè partium evulgare, quæ de œsophagæis morbis observassem, arbitratus, pauca hæc sapientioribus, ac præprimis Tibi, emendanda, & augenda, & perpolianda offerre, dicare, consecrare, decrevi. Atque hæc ratione fatebere me morem gessisse salutari ejusdem Verulamii monito, quo medentes lib. cit. perstringat acerrimè. » In inquisitione, ait, illorum de morbis, inveniunt morbos complures, quos insanabiles decernunt, alios jam indè à principio morborum, alios post talem quampiam periodum. Ità L. Syl-læ, & trium-virorum proscri-



» ptiones res nihili fuerint , præ  
 » medicorum proscriptionibus , per  
 » quas tot homines iniquissimis  
 » edictis morti dedunt. Quorum  
 » tamen plurimi minore cum diffi-  
 » cultate evadunt , quàm illi olim ,  
 » inter proscriptiones romanas.  
 Neque igitur dubitabo inter de-  
 » siderata reponere opus aliquod  
 » de curationibus morbum ,  
 » qui habentur pro insanabili-  
 » bus ; ut evocentur & exciten-  
 » tur medici aliqui egregii , & ma-  
 » gnanimi , qui huic operi , quan-  
 » tum largitur natura rerum , in-  
 » cumbant ; quandò hoc ipsum ,  
 » istos morbos pronunciare insa-  
 » nabiles , neglectum & incuriam  
 » veluti lege sanciat , & ignoran-  
 » tiam ab infamiâ eximat « .

Benigno igitur , Vir celeberrime ,  
 amicorum integerrime ,




x  
quod facere soles, animo, hacce  
accipias, inspiciasque pagellas;  
quas cum percepero haud planè  
indignas Tibi videri, deinceps  
de quibusdam peculiaribus abdo-  
minis morbis, vitam Deo vires-  
que largiente, agere audebo. Vale  
eruditorum decus, honor artis,  
& ornamentum; meque, quod  
facis abundè, tuo & amore pro-  
sequere, & favore! Vale!

Dabam Hagæ - Batavorum,  
24 Octobris 1750.

DE





DE IMPEDITA  
VEL DEGLUTITIONE  
Vel Deglutorum in cavum  
Ventriculi Descensu.  
DISSERTATIO.

---

P R O Æ M I U M.

**M**ORBI œsophagi quum minùs distinctè ab auctoribus medicis descripti, novique ac planè insoluti subindè illi, vix perspecti habeantur, in animum induxi obscurum hoc, atque insuetum morborum genus, paucis tractare.

Creberrimus est, teterrimusque simul, atque etiam naturâ diù latens & causâ, de quo acturus sum, morbus: ingentes adducens miserias, perdiuturnus, mortem miserrimam inferens.

Creberrimum aio, quod hodiè vim hominum soleat innumerabilem proster-



## 2 DE DEGLUTITIONE

nere; horrendum itidem ac teterrimum, quippè qui variæ calamitatis, doloris & sævi & frequentis, vixque tolerandæ anxietatis fœcundus, tandem veris Tantalii pœnis enecet homines. Verùm simul diù latentem dico naturâ, causâque: siquidem in principio aliorum morborum specie fallens, vix nisi adleverit, curamque respuat, internoscitur; notione autem vagâ admodum nobis cognitus, ignoratur ferè quoad causam, undè proficiscatur, quoad naturam, quâ constet.

Rarior cadaverum inspectio hoc morbo denatorum effecit, ut quæ intellectu difficilis per sese morbus esset, obscuriore loco demersus hæteret: quam veram nihilominus, quam certam, quamque unicam viam esse, quâ posset detegi, intelligi causis, aptè curari, affirmare ausim. Idcirco captans occasiones quascumque, easdemque fortunatas nonnunquam adeptus, in cadaveribus causam riniatus sum: quam in variis variam, in nonnullis singularem, in multis multiplicem, tum in his secandis cadaveribus, tum etiam in recentium auctorum perscrutandis monumentis, inveni, examinavi, adnotavi.



## D I S S E R T A T I O. 5

Porro, qui inchoet morbus; quibusque innotescat phænomenis; quomodo crescat, perennet, extinguat; erit primò dicendum: deinceps quæ ex inspectis didicerimus cadaveribus: tum adornanda erit expositio, quæ castè, & quoad ejus fieri possit, perspicuè, accuratèque, causarum atque symptomatum rationem doceat: apta demùm curandi inquirenda methodus. Porro quo possit morbus accuratiùs distingui ab aliis quibusdam morbis, qui speciem præ sese gerant eandem, causamque diversam habeant, eosdem breviter, quoad ejus facere possum, recensebo. Neve multa verborum ambage tædiosus sim, tritâ impeditæ deglutitionis voce morbum appellabo: quamvis haud pauci sunt, qui facilè deglutiant; potissimùmque difficultate deglutita in ventriculum protudendi laborent.

---

## C A P U T I.

Q U O S invadere homines morbus infit, hi deglutientes levem percipere sese transeuntibus deglutitis solidioribus obicem sensim molestiorem, progressu



#### 4 DE DEGLUTITIONE

temporis dolentem conqueruntur. Quem equidem dolorem, quiescente aliquantisper gulâ, silentem affirmant; molestiam minimè. Sedem mali alii superiorem œsophagi regionem indigitant, mediam alii, nonnulli inferiorem. Quin ipsum pati ventriculum, quamdiù is in digerendo sit, quibusdam contingit. Progrediente malo ab alimento molliore, tandem & ab ipsis liquidis, eodem prorsùs modo afficiuntur. Suntque, quos inanis ventriculi atque œsophagi, anxius quidem, sed levior, dolor occupet; repleti, gravior. Nec defuère omninò, qui liquida ægerrimè, solida commodè, transmitterent. Plerisque insipidæ limphæ copia ingens è gulâ in os ascendit, ore elabitur: præcordiis tunc temporis, debilibus, &, ut ipsi aiunt, algentibus. Omnibus autem flatuum vis magna, vacuo ventriculo frequenter, in ipso deglutitionis actu continuò gutture exploditur; quibus commodè emissis, leve solamen miseri percipiunt; non, ægerrimève explosis validas anxietates. At verò, quod mireris, eveniunt intervalla pluribus lætissima, ut totum ferè exulasse malum autument: vix paucis tamen perdurantia diebus; quin imò mox eva-



D I S S E R T A T I O

nida, ubi ovantes ferè ægri, grato ac duriore alimento expleverint se: nonnullis verò vix tantilla observatur intercapedo calamitatum. Capit malum, in dies augmentum, marcore corpus evanescit, vitæ tædium subnascitur, quod quævis hauriendi abliguriendique fervente acti desiderio, sumere eadem propter impeditam deglutiendi nequeunt functionem. Nec jam, ut superiore tempore, limpida eructatur aqua, sed spissior materies, leniorque & tenacior, subindè fœtida, scretu frequenti, deglutitioni individuo potissimum comite, è gulâ in os ipsum expressa. Laborant in viis primis acido plerique manifesto; quibus tamen ipsis in rancorem oleosa, alcaliscentia in putridam naturam sæpè verti observantur. His ærumnis nonnulli tribus annis quatuorve, alii sesquianno, alii anni integri, quidam paucorum mensium spatio fatigati, cedunt satis.

Obscuriorem autem naturâ morbum quum dixerim esse, variasque, undè proficiscatur, causas habere; medicam ægrorum historiam, eorundemque mortuorum anatomen, quæ id, quod dixi, demonstrent ordine, recensebo.



## CASUS PRIMUS.

Quinquagenariæ mulieri pessimo, eo-  
que lento, scorbuto affectæ fluxu men-  
struo à longâ die carenti, cœpit minui  
appetitus; spasmi circùm præcordia;  
flatus molesti, iique frequentes, adesse;  
angi fauces, in œsophago morari clavi-  
cularum altitudine deglutita; limpidior  
latex ipsi, maximè jejunæ, ex ventri-  
culo in os eructari; alvus tarda esse;  
præcordiorum anxietates percipi, sæ-  
vique dolores; vires collabi, totum  
contrahere corpus marcorem. Limpido  
fluori successit deinceps frequens gluti-  
nosæ materie screatus, copiâ in dies  
vique auctior. Tum laboriosa admo-  
dum, maximè solidorum, deglutitio,  
eaque haud expers doloris. Mitius  
quandôque affligentes hæ tantæ ærum-  
næ, imò ferè integrè silentes, incredi-  
bile dictu quàm subitò ferocirent, vi  
auctæ ac diuturnitate! Febre tandem  
correpta mulier; vigiliis defatigata,  
nec nisi collo primùm erecto, capite  
dein retroacto, deglutire valens, mi-  
ferrimè interiit; decem fermè mensium  
spatio cum tantis miseriis colluctata.



DISSERTATIO. 7

Inspectum cadaver teterrimâ mephitæ infectum, exhibuit situm ventriculi perpendicularem ferè dexteriore suâ parte pollicem latum infra umbilicum propulsi, materie flatulentâ, utroque constricto ore, pleni. Superiori autem ori circumfusa deprehendenda, numero plura, corpora, mole fabas æquantia majores.

Hepatis solito majoris lobus quisque tenuatâ parte suâ subalbicantem durti-  
tiem, aureo quem vocant, nummo magnitudine parem, habuit.

Pancreas inveni naturali magnitudine octuplo circiter majus, totum quantum skirrhosum; naturale domicilium ventriculi, suâ de sede pulsi, à posteriore, à superiore, atque à laterali dextrâ parte explens adamussim. Mesenterium skirrhulis hordei grano paulò majoribus refertum.

Glandulæ binæ œsophagi mediæ propè longitudini appositæ, duræ reprehensæ omninò: duræ itidem aorta, carotides, subclaviæ arteriæ, propemodùmque callosæ.

Lævus pulmo parvus, lividus totus, mollis; dexter durus, parvus, membranæ costas vestienti, eique densæ



3 DE DEGLUTITIONE  
omninò ac duræ , totus longè latèque  
accretus.

Oesophagus mox infrà claviculas  
crassus vehementer , durus , amplus ,  
formam sacci habens.

### CASUS ALTER.

Femina 65. annos nata , macilentissima , linteis indumentis tractandis atque perpoliendis victum quæritans , leipothymiâ cœpit frequenti affligi ; citrà tamen vel cordis palpitationes , vel flatus , vel borborygmos. Sesquianni deinceps emensa spatium , deglutiendi animadvertit levia , crescentia sensim , impedimenta ; quibus curandis optimorum experta est inutilem medicaminum usum. Mirum profectò , qui deglutiret , videre erat. Caput quippè quum primò erexisset , mox ultimo deglutiendi actu tetrò agebat : immota tunc hærens , ingratarum sonum tempore edebat , monstrabat anxietates , quodque deglutierat liquidi pauxillum , mox totum ferè rejecit. Haud æquè tamen grave , haud æquè pertinax malum , quovis tempore rulit : est enim visa tum expeditiùs per intervalla deglutiens , tum faciliùs



retinens deglutita. Verùm, ut casu præcedenti, post fallacissima gaudia ad luctus prioribus graviores mox reditum est: donec tandem instar sceleti emaciata, genis utrinque vehementer inflammatis, exspiraret.

In cadavere lustrando, expertissimo & conjunctissimo collega V. adjutore usus, inveni caput laryngis tantillum eminens; feri collectionem sub maxillâ inferiore in cellulosa membranâ; glandulas submaxillares, glandulas venis jugularibus internis confertim adjacentes, skirrhosas; thyroidæam glandulam per magnam, posteriora versus utroque in latere insigniter tumentem, cujus è medio portio tenuis anteriorem scutiformis cartilaginis partem conscendens, in hydatidem ovalem desineret. Hæc porrò hydatidis à mediâ dictæ cartilaginis regione incipiens, in ejusdem crenâ superiore excipiebatur, & sub basi ossis hyoïdis penetrans, inferiori linguæ substantiæ annectebatur. Velum pendulum palatinum & columella admodum inflammata erant. Turgidus aëre ventriculus hinc indè dirè inflammatus.

Suprà asperæ arteriæ dichotomiam, œsophagum inter & asperam arteriam, skirrhus deprehensus densissimus est,



10 DE DEGLUTITIONE  
solidissimus, durissimus, nucis moschatae  
ferè æquans molem; œsophago qui-  
dem laxiùs, asperæ autem arteriæ lateri  
dextro arctiùs adhærens; circa confi-  
nium extremorum, annulorum, & mem-  
branæ eorundem annulorum suppletis  
defectum. In pulmone lividæ maculæ  
quàm plurimæ. Ecchymoses hinc indè  
reperitæ. Pericardium latice cruento ex-  
pansum. Auricula cordis dextra, nec-  
non vena cava inferior, grumoso atro  
sanguine refertæ visæ sunt. Magnus,  
idemque crassus, albicans, polypus in  
angulo dicto, arteriæ magnæ. In cordis  
pariete dextro inventum corpus durum,  
scabrum, foràs eminent, & communi  
cordis membranâ vestitum; intrinsecùs  
inter carneas columnas elevatum, nu-  
cem avellanam magnum, albicans, car-  
tilagineæ duritie. In arteriæ coronariæ  
cordis ramo principe verum deteximus  
osticulum, convexum, extenuatum  
idem & compactissimum, extremo suo  
arteriæ insertum lateri, reliquo verò  
corpore suo in vasis cavo nudum hæ-  
rens.

Ren sinister durissimus, inflamma-  
tus, externè exiguum exhibens abs-  
cessum.



## CASUS TERTIUS.

Ultrà 50. natus annos homo, quum spiritibus vegetabilium fermentatione & destillatione productis abusus esset, in acutum cum delirio morbum incidit: ex quo ægrè emergens, deinceps abstemius vixit. Nihilominùs advertere & conqueri cœpit deglutitione ritè ore peractâ faucibusque, quæ deglutita essent propè summum sternum hæere, angere, indéque post pusillum temporis oborta nausea ac tussi eructari; unâ cum incredibili tenacis materiæ copiâ. Prætereà de continuo ac vehementi epigastrii dolore, summaque anxietate, lamentabiles edidit querelas. Quæ omnia incommoda concomitata est inanis tussis, sicca, delassans, frequentissima. Mansuetior subindè morbus, multo mox crudelior, trimestri vix exacto spatio, de medio hominem tulit.

Cadaver unâ mecum collega S. aperuit. Deprehendimus anteriorem hepatis lobum, propè ventriculum materie purulentâ passim collectâ divisum; ventriculum naturalis capacitatis, pœnè vacuum; pancreas durum utcumque, non dicendum examussum skirrhosum.



Atque hæc in abdomine. Ablato prudenter sterno pulmo dexter deprehensus est inferiore quidem parte consumtus, corruptus, saniosus; superiore autem integrè skirrhosus: visusque est eâdem skirrhosâ portione œsophagum sinistrorsum protrusisse supraque eundem œsophagum in lævum pectoris cavum protentus, membranæ ibidem costas vestiendi circumquâque accrevisse. Qui sinistrum hoc cavum explebat pulmo, sanum hunc eundemque mollem, atque magnum, invenimus. Ipse autem supra hanc expositam mox compressionem œsophagus in saccum degenerasse, naturali capacitate duplo ampliorem, infra autem compressionem solito angustior visus est nobis.

## CASUS QUARTUS.

Propriis observatis meis nonnullas visum est affines adnectere historias: ac primam quidem ex *Act. Edim. part. iij. art. xxvij.*

*Faber Lignarius*, 36. annos natus torqueri sese conqueritur dolore cordis, cordis scrobiculi, laterum utrorumque, regionisque inter scapularis, ingenti quoque difficultate deglutiendi, atque



nauseâ, ærumnas has, elapso abhinc sexennii spatio, supervenisse ingenti cordis cùm dolori, tum palpitationi, nec opinatâ mestitiâ oriundis.

Variis artis auxiliis æger incassum usus tumorem tandem durum, dotentem, mox infrâ xiphoidem cartilaginem locatum, proximéque prægressâ nocte sibi animadversum, medentibus monstrat. Qui tumor in abscessum transiturus cùm videretur, aptis ad id remediis tentatus frustrâ fuit. Nam vomitus subsequēbatur, arte nullâ fistendus, tum supremo vitæ mense orthopnœa, singultus demùm, & mors.

Medicus *Abernethy*, & chirurgus *Jamieson*, inciderunt cadaver. Invenērunt steatomatosum corpus informe, atque ingens, refertum passim cellulis, quas tum melicerosa expleret, tum atheromatosa materies. Viderunt idem hocce corpus partem occupasse thoracis maximam, pleuræ sic dictæ membranæ connatum utrinque, potiorique tum mediastini, tum pericardii, portioni accrevisse: comitans deinceps œsophagum, eundemque premens, diaphragma cum eodem penetrasse; pylorum ipsum, juxta ventriculi dorsum,



14 DE DEGLUTITIONE  
complexum; amboque nobilissimi vis-  
ceris ora hâc ratione coarctasse.

### CASUS QUINTUS.

*F. Pringle*, medicus historiam nota-  
bilem cum eâdem societate communi-  
cavit. *Act. Edimb. part. ij. obs. xxiv.*  
Vir generosus flore gaudens ætatis,  
quum Maio mense anni 1712. per-  
bacchatus esset, ejusmodi vomitu corri-  
pitur, ut quæcumque edisset bibissetve,  
mox citrà nauseas, citrà laborem,  
emoveret. Malum ad quævis remedia  
repelle excipiunt dispendium virium,  
macies, frigus, marasmus, optabi-  
lisque ærumnarum terminus, mors.

Aperto cadavere corpus durum,  
glandulosum, in canali œsophageo in-  
venitur orsum à mediâ canalis longi-  
tudine, ad usque ventriculum proten-  
tum, ejusdemque os superius tam arcte  
comprimens, ut specillum per illud vix  
posset penetrare sese in ventriculi ca-  
vum.

### CASUS SEXTUS.

34. annorum vir, macilentus, cæ-  
tera sanus, dolorem anni ab illinc spa-



tio ortum, reducem sæpè, indicat sub  
 ensiforme cartilagine. Conqueritur se  
 toto illo tempore dissolutè viventem,  
 appetitum amisisse: cujus restaurandi  
 scopo cùm integro ferè mense calidissi-  
 mis esset remediis usus, torositatis sese,  
 & virium, & coloris, fecisse jacturam.  
 Validum prætereà exantlasse laborem  
 in deglutiendis solidis: quæ quidem gu-  
 lam commodè transirent, sed propter  
 affectum locum paterentur repulsam, do-  
 loremque transitura vehementem con-  
 citarent: deglutitam imò offam sæpè  
 violenter ab hoc obice in guttur pro-  
 jici: compelli hinc sese, ut deglutita  
 unà cum magnâ pituitæ copiâ vomitu  
 ejiceret: sin autem prudenter liquida  
 hauriret, plerumque hâc difficultate im-  
 munem esse: cæterum molesto ceu cin-  
 gulo in epigastricâ regione se sibi cir-  
 cumcingi videri. Nullam tamen vim  
 externam, quæ molestiam hanc illum-  
 que dolorem creare posset, prægressam  
 esse. Atque hæc quidem ille. Quâ au-  
 tem cumque ratione eum medicus ex-  
 ploraret, nec tumorem hîc tangendo  
 animadvertit, nec auctum ille dolorem.

Quapropter medicus morbum ner-  
 vorum esse arbitratus, primas vias  
 emetico expediundi, roborantibus dein-



dè , atque antihysteriis externè inter-  
néque exhibitis , nervos laborandi ,  
periculum fecit. At , his effectu cassis ,  
nephritis violenta successit , quibusvis  
artis auxiliis immorigera , tantummodo  
micto calculo filens.

In opem mutuam vocato medico  
*Pringle* , flores sulphuris cum lacte  
quotidiè exhibitis sunt ; pilulæ paratæ è  
sapone , gummi variis , peruviano bal-  
samo diù usurpatæ multùmque. At  
verò ut prior labor , ità & inanis po-  
sterior. Id modò eo tempore mutatum  
videbatur , quod constanti lege offam  
rejiceret , si eam cum liquido unâ de-  
glutiret ; si solam , & liquidum post-  
hâc , retineret. Equitatio , æthiops mi-  
neralis , pareiræ bravæ apozema , mar-  
tis parata cum vino rhenano tinctura  
optato carent successu. Animadversi  
jam sub auroram sudores. Frustra pi-  
stachiorum instar bina , unâ cum hau-  
stis alimentis , vomitu reddidit , qui-  
bus per totos quaternos dies pectoris  
successit dolor acutus : hoc sæviente ,  
aqua calcis cum lacte , & electuarium  
molle consolidans , data sunt. Quinto-  
decimo deinceps die frustum vomitu  
ejecit tertio , dolore eo , qui priori-  
bus binis ejectis sævierat , absente ;



absentibus iis, qui sub auroram comparuerant, sudoribus. Jam præter lacteam diætam reliquis visum fuit remediis supersedere, & modicas corporis suadere exercitationes. Quod verò fortasse paradoxon; hâc tempestate carnes albas consueto liquidiore nutrimento sibi convenientiores esse expertus est. Priores autem miserias exceperunt levior nephritidis paroxysmus, perpetua hypochondrii sinistri durities, diarrhœa alba, non sistenda, vires dejiciens omnes; donec tandem post 8. vel plurimum mensium sustentatos & morbi, & artis, labores, mente compos, terrenæ habitationi valediceret.

Aperuerunt corpus egregii hi viri; quos præterquam alii, etiam clariss. professor *Monro* comitatus est: cujus anaromes en historiam.

Omentum brevius toto inferiore suo margine, in latitudine omnis inferioris epigastricæ regionis, cum peritonæo concrevit; cætera tenue, accretionis autem loco durum admodum, skirrhosum: neque cum uno peritonæo, verùm itidem hinc illinc cum intestinis, cum jecinore, cum splene, cum ventriculo, cohærescens, eadem ibidem phænomena exhibuit. Ità ut hu-



ius concretionis effecta jecur & lien cum ventriculo cohærent quàm arctissimè Exiguus, iisdemque albis, tuberculis, jecoris, lienis, ventriculi, scatebant superficies. Quantum viscera eo in situ conspiciere dabatur, rectè habere visus ventriculus est: tantùm quod dorso suo cum diaphragmate ubique firmiter cohæret, idque ope substantiæ skirrhosæ, ei quam in omenti cohæsiõibus viderant, quàm simillimæ.

Intestina leviter aliquot locis inflammata cum peritonæo & arctius solito, & crebrius, connexa. Nil aut in vesicâ calculi, aut in renibus, (id quod indubitatè expectabatur) inventum. Viscera abdominis cæteroqui sana.

Thoracis aperti utroque ex cavo exemerunt aquæ rubellæ tantillum. Sanus conspectus pulmonum: tantummodo sinistri inferior lobus arctè coibat cum septo medio: quo equidem in loco post separationem abscessus comparuit: tum fusco atque spisso humore, tum pure, plenus. Qui in pulmone abscessus erat, in binarum vix unciarum capax, at verò sese per diaphragma penetrans, tunicas ipsas ventriculi cum diaphragmate coalitas tam latè perfora-



vit ut pollicem admitteret apertura.

Œsophagus sanus totus usque ad binorum pollicum à ventriculo distantiam; quo in loco in albam degenerasset, densam, skirrhosamque, substantiam: in quâ ipsâ multi, atque magni abscessus comperiebantur, in hunc eundem canalem pervii. Os superius ventriculi ejusdemque skirrhosa compages, ad aliquot exindè pollicum, interiora versus, distantiam, faciem præfese tulerunt eandem. Conclufere medici, vago pari hîc compresso, insensilem adeò redditum fuisse ventriculum, ut indè nec efficacissimis remediis moveretur.

Ad dichotomiam asperæ arteriæ glandulæ repertæ sunt materiâ spongiosâ partim, partim lapideâ, gravidæ, quas nigra involveret firmissima membrana.

### CASUS SEPTIMUS.

*Dionysius vander Sterre, med. Batavus, Tract. de praxi Medicina medico-chirurgica, edit. Amstelad. an. 1678.* describit historiam uxoris zythopolæ, cui deglutiendi facultas sensim immiuta esset. Hanc multorum opem nequicquam expertam, tandem ad sese



## 20 DE DECLUTITIONE

petituram auxilium accessisse. Nullo autem modo quum ipsam levasset, misisse se eam ad medicos amstelædamenses famosiores: quippè ejusdem se fauces conspexisse multo angustiores, digitoque immisso superiorem œsophagi partem indurari deprehendisse: eam tamen horum virorum ope frustrà usam, vitâ functam esse.

Porro subjungit morbum existimasse se semper arte majorem; eo quod in quatuor hominibus mortem quovis molimine adhibito inevitabilem observasset: uniusque denati examine deprehendisset œsophagum interiorem siccâ, cartilagineâ, imò lapideâ ferè duritie, incrustatum.

## CASUS OCTAVUS.

*F. Platerus, in observ. cap. De transitûs per gulam defectu, hunc ipsum morbum describit. Figulum suum, ait, ubi eò per quinquennium laborasset, in animum induxisse, fore ut acidularum naturalium usu sanesceret: eum verò, dum ipso in loco iisdem uteretur, mortem oppetivisse. Torqueri eodem morbo scrinarium, eodem interiisse centurionis uxorem, uxoremque au-*



rifabri. Alium Lucernæ annum jam laborantem esse : cui, quum œsophagi fabricam rigidiores existimaret, solis emollientibus & demulcentibus medicinam faceret.

### CASUS NONUS.

Apud *Hildanum obs. 34. cent. 4.* habetur historia hominis, deglutitione solidorum rectè liquidorum ægrè perfungentis : malum id, scribit *Hildanus* catarrhum, ac sinistri lateris paralyfin, subsequutum esse. Homo debilitabatur, ejus sententiâ quod solidis minùs debito nutrire, liquidis nutrirî non posset. Quare solidis dilutioribus, spissioribusve liquidis nutrire hominem conatus, malum quadantenus emendasse se restatur; redeuntibus verò cum catarrho, tum lateris lævi paralyfi, ægrum præter solida nil deglutire valentem, & liquidorum defectu, & aliis malis, consumtum, diem obiisse.

### CASUS DECIMUS.

Memoriæ dictæ Academ. Reg. Chir. Gall. ex *Boneto & Miscell. nat. curios. ann. 1613.* dignam afferunt, quæ note-



tur, historiam. Scilicet *Sampsonium* feminæ laboriosâ deglutitione laboranti, causæ indagandæ gratiâ, spongiam officulo balenæ flexili alligatam in fauces intruisse, invincibile verò invenisse obstaculum. Eum dein, inediâ enectæ cadaver examinantem, detexisse integrum œsophagum cartilagineum, coarctatumque eum in modum, ut vix setam porcina caperet. Atque hoc totum, quod egregio illo opere gallico super hoc morbo notetur.

## CASUS UNDECIMUS.

*Ampl. Tulpius, lib. 1. obs. cap. 44.*

„ Viduæ cujusdam, inquit, naupegi,  
 „ succrevit paulatim ex distillatione,  
 „ humilis, ac latus tumor, insidens  
 „ firmiter lateri asperæ arteriæ, pau-  
 „ lum supra jugulum. Hinc impediri  
 „ evidenter spiritus, & tandem tanto-  
 „ perè deglutitiones, ut circà summum  
 „ tumoris incrementum vix quicquam  
 „ ampliùs transmiserit gula; nisi fortè  
 „ exiguas aliquas lactis vaccini guttu-  
 „ las: quarum ope nequaquam ubi re-  
 „ staurarentur debite vires, majoris  
 „ opis indigæ, emarcuit necessario cor-  
 „ pus; & excessit ipsa non invita è vitâ.



Dissectio cadaver invenit *Tulpius* tumorem lateri asperæ arteriæ adnatum, lædentem respirationem, œsophagum tum arctè comprimentem, ut ejusdem complicarentur tunicæ, perque emissa filamenta viam versùs inferiora penitùs occluderint. Tum & dorsales glandulas tumidissimas œsophagi cavum plurimum coarctantes.

### CASUS DUODECIMUS, &c.

*Optimus Bonetus*, in opere incomparabili dicto *Sepulchreto*, &c. libr. iij. idem malum scribit ortum *obs.* 22. ab ventriculi orè skirrholoso: à tuberculo cancroso mediæ œsophagi parti adhærente, *obs.* 2. à carunculâ post curatum ulcus venereum enata, deglutitionem impediante, auferente, *obs.* 12. ab exsiccatione post febrim ardentem, *obs.* 14. Ab inflammatione gulæ, præ violentâ ejusdem agitatione, quâ imprudenter ossiculum, quod ibidem hæere putabatur, nec hærebat tamen, extrahere, propellereve fatagerent, *obs.* 15. Tandem ab innatâ adipe, *obs.* 4.

Variorum hujusmodi ægrorum diaria subjungere hisce permulta possem;



24 DE DEGLUTITIONE  
verùm quum eadem referant, quæ su-  
periores narrationes, eâque cadave-  
rum inspectione confirmari non potuerint,  
inani recitationi supersedere malim.

---

## CAPUT II.

**H**UCUSQUE quî nascatur morbus, quo  
ordine crescat; quâ fuerat atrociâ, quo  
sine terminetur, exposui. Tum quæ  
læsa viscera fuerint, quæ degenera,  
quæ vitiosa mutila, desiderata, quæ  
fabrica mutata locove, solers docuit  
cadaverum lustratio eorum, qui hoc  
morbo victi cesserint fati. Igitur nunc  
annitendum est, ut veras artis regu-  
las secuti, proximam mali causam de-  
finiamus.

» Causa proxima ex prioribus elici-  
» tur esse glandulosarum, membrana-  
» cearumve partium tumor, induratio,  
» skirrhus, occupans vel glandulam  
» thyroidæam vel asperam arteriam,  
» vel parotidem, vel œsophagum, vel  
» glandulas dorsales, vel ventriculum,  
» vel pancreas, aliasve adjacentes par-  
» tes, imò ipsos pulmones, vel horum  
» plura



» plura simul; cavum œsophagi, vel  
 » ventriculi, vel utriusque, comprimens, coarctans, claudens «.

Quidquid autem hanc gignere causam potest, poterit causæ propioris munere fungi, eaque sive disponens causa erit, sive excitans dicenda.

Disponens agnoscitur, solidorum vitiosa sive rigiditas, quâ transitui humorum obstant; sive debilitas, quâ exceptos eosdem minùs propellant: tum fluidorum lentor, inertia, acrimonia. Excitans appellatur quæcumque res lentum illud, atque iners, & acre fluidum, in vasa perperam affecta adigat, impellat, coacervet, coadunet, ac demùm stagnare cogat.

Disponentes causas citatæ historiæ demonstraverunt plerumque fuisse, 1<sup>o</sup>. acrimoniam lentam, acrem, scorbuticam, ut in casu primo. 2<sup>o</sup>. Acrimoniam spiritibus fermentatione diuturnâ paratis, destillatione in summum gradum evectis, natam: quæ ut plurimum habeatur in vino, antiquiore cerevisiâ, spiritibus stillatitiis. Vid. *Boerhaave, ætiolog. path.* §. 762. Ità sese res habuit in ægro 3. 5. fortè 6. » Acrimonia hæcce producit sitim, temulentiam, fibrarum constrictionem sic,



» cam, humorum coagula vix resol-  
 » vanda, stimulum celerrimum, & ci-  
 » tissimè evanescentem, partium soli-  
 » darum; hinc summam necessitatem  
 » similis potus assiduo auctioris: indè  
 » debilitates, flatus, obstructions, fe-  
 » bres, tumores, leucophlegmatiam,  
 » hydropes, & similia his mala «. *Boer-  
 haavius*, *ibid.*

3°. Fortè & mœstitiâ validam. In  
 ægro IV. primò dolor cordis atque pal-  
 pitatio inopinatâ mœstitiâ oriebantur;  
 tumque sequuta est, de quâ agimus,  
 ægritudo. Etenim quid tristitiæ mœ-  
 roresque malorum gignant, quæ eò  
 faciant, adèd nota res est, ut minime  
 indigeat explicatione. Undè & *vita  
 tristis* à *Boerhaavio* skirrhicaula audit,  
*aph. §. 485.*

4°. Potuum Asiaticorum fervidas for-  
 bitiones à superiore ævo Batavis, ama-  
 bili imprimis sexui, adèd frequentissi-  
 mo in usu; necnon pravam quævis  
 alimenta fervidè assumendi consuetu-  
 dinem. Hæc magni *Boerhaavii* senten-  
 tia, quam quotannis paragrahum,  
*Instit. 73.* explicans, discipulis inculca-  
 bat. Horum quippè vis est, ut fervidè  
 transeuntia, gradu scilicèt caloris eo,  
 quo sanguis noster polleat, longè majore



re, condensent humores vasa stringant, crispent, sicque obstructions in glandulis creent varias, firmas, vixque sæpè non solvendas. Ductus glandularum, quibus illæ paratos à sese humores in œsophagi cavum instillent, censemus quoque majore calore constringi, crispari, humoremque hâc lege in glandulâ coacervari, glandulam proindè, quæ ab arterioso cruore novum continuò liquorem excipiat, tumere, indurari, durum denique in skirrhum degenerem, arctare œsophagi cavitatem.

Causæ excitantes videntur ex prægressis exemplis fuisse variæ; utpote in his, quos scorbutus suscipiendo morbo aptos reddidisset, aquosorum fervidæ sorbitiones: quos pronos in morbum fecisset, mœror, in iis spirituum abusus: quos vita dissolutior eò disposuisset, in illis calidorum, & aromaticorum, præposterus usus. Unus videatur hanc in rem *Sanctorius*, pulcherrimè hæc confirmans, *sect. vij.* & plurimis aphorismis. Affluxio serosorum humorum & hemiplegia apud *Hildanum* dubio procul potuère unâ vice totam deglutiendi vim interimere, fungique simul vice causæ utriusque.



28 DE DEGLUTITIONE  
imò ferè ipsius proximæ, videntur  
posse. Verbo innuerim plerasque tum  
disponentium ad morbum causarum,  
tum excitantium, quas *cap. de skirrho*  
*Boerhaavius* recensuerit, huic ipsi malo  
gignendo aptas natas esse.

---

### CAPUT III.

**P**ROXIMAM morbi causam vidimus  
*cap. 1<sup>o</sup>*. aliâ atque aliâ sede in variis  
locatam. Hinc operæ videtur pretium,  
eam accuratè indagare in singulo quo-  
que casu, enotareque quæ propria  
hinc, quæ peculiaris, symptomata,  
inevitabili lege nascerentur.

In ægrotâ ergo primâ causa proxima  
complicata admodum fuit. Nam œso-  
phagus mox infrâ claviculas bulbi in-  
signis faciem ferebat præ sese, vehe-  
menterque induruerat. Glandulæ dorso-  
les dictæ skirrhosæ fuerunt, eaque tu-  
mentes videntur compressisse œsopha-  
gum, effecisseque, ut suprâ compressio-  
nem in tantam capacitatem degenerave-  
rit. Pancreas molis monstrosæ, os ven-  
triculi superius circumcinctum skirrhul-  
is, isque ipse sede remotus suâ. Varia



ergò viscera simul causa obsedit, quæ cuncta essent ad vitam necessaria, quæ ad morbum constituendum confirmandumque conspirarent, quæque tamen quodnam eorum primum affectum fuerit, relinquerent ambiguum.

Hâc autem causæ ratione cum descriptis in casu primo observationibus collatâ, de sympomatibus, quæ hæc passa ægra sit, causis, pauca disseramus.

Quod limpidus fluor ipsi in os, potissimum jejunæ, copiosusque saliret, indè natum arbitror, quod cæliacæ arteriæ sanguis ad pancreas ne flueret impeditus, ventriculo fuerit copiosior datus. Pancreas quippè præter ramos à duodenâ arteriâ, à pyloricâ, à gastro-epiploicâ utrâque, & à mesentericâ superiore acceptos; habet arterias suas ab arteriæ cæliacæ ramo sinistro lienem petituro: ventriculus, præter alias arterias quas à gastro-epiploicâ dextrâ, à pyloricâ, à mammariâ internâ, atque à diaphragmaticis habet, ab eâdem lienari arteriâ ibidem loci recipit arteriam coronariam dictam; & deindè, postquam pancreaticus ramus emissus est, accipit ab eâdem lienari arteriâ vasa brevia arteriosa, ac posthac ite-

d iij



rùm, ubi illa lienaris gastro-epiploïca sinistra appellatur. Ergò ubi obstructum pancreas, sanguis alioqui pancreatici dandus, jam ventriculo datur. Ventriculus itaque majorem accepit cruoris illius copiam, undè aliter humor ferè salivarius ipsâ pancreatis fabricâ pararetur; ipseque hâc ratione limpidi liquoris affluentia, sua propria fabrica de arterioso sanguine parati ditescere intelligitur debuisse.

Quin ipsummet aded magnum pancreas, functionem suam utcumque adhuc obeuns, duodenum necessariò angustavit, hincque parato à sese liquori in causâ fuit cur inferiora ille difficulter, superiora facillimè, peteret. Minus verò sursùm saluisse onusto, quam inani ventriculo, sponte liquet: tum quod alimenta magnam liquidorum illorum partem secum miscerent; tum quod os ventriculi post assumta alimenta exactè clauderetur. De superiore namque morbi tempore loquor; cùm minus impedita, minusque laboriosa, deglutitio solidorum contingeret. Verùm appulsu hoc assiduo humorum flaccessere ventriculum, hebescere, sensu privari appetitûs necesse fuit: debilemque sic diù, redditum, demùm debi-



litate totum corpus afficiente omnimodâ inertiam affectum esse. Quid si etiam appetitum læsit vitiata ventriculi figura, sedes aliena? Etenim pancreas à principio morbi affectum fuisse credibile admodum, adeoque illud mole crescens ventriculum sensim & sine sensu naturali sede pepulisse; id fin itâ, etiam pancreaticum succum, donec plus minùs secernebatur, pylorum sponte subiisse, intrasse ventriculum.

Hanc autem alienam ventriculî posituram (si per momentum liceat à tramite deviare) ante biennium mihi videre contigit in vetulâ, quam femoralis hernia occiderat. *Acta Edimburg. part. j. art. xxx.* similis rei meminerrunt, ortæ ab omento, quod magnam partem in scrotum delapsum testiculo firmiter connasceretur, atque itâ ventriculum sensim loco abduceret.

Tardissimam alvum miserrima semper conquesta est. Quid mirum? à flaccidis intestinis nec subacta alimenta nec propulsa, haud aliter ferè, atque in inerti lagenâ quieverunt; donec purgantium vel enematum irritamenta fœcordium fibrarum vim incitarent in contenta. Demonstravit autopsia. Quod



32 DE DEGLUTITIONE

enim à tanto tempore primò tenuioris, deindè spiffioris humoris copia ingens superiora petiiffet; in causâ fore rebar, ut ficciora deprehensus inferiora essem. At verò horum nihil: è contrario intestina, tenuia præprimis, adeò flaccida deprehendi, adeò vieta, ut in aquâ macerata diù, propemodumque tabefacta esse, asseverasses. Tandem penuria alimenti alvum nullam ferè esse oportuit.

Anxietates præcordiorum eorumque dolores, creavit pancreatis, creavit moles auctior duriorque jecinoris, diaphragma, atque circumjacentia vasa premens, nervos comprimens, viscus integrum suâ de sede pellens.

Debilitatem totius corporis summam assumendi alimenti difficultas, postremò incassus labor, effecerunt.

Febrim genuit tum eadem causa, quæ debilitatem; quâ effectum, ut veteres humores, novi chyli admistione carentes, majorem acrimoniam adipiscerentur; tum quoque acriorum humorum paucioribus vasis liberis rapidior cursus: humorum circuitu tot locis obstructis intercepto.

Deglutitionis erecto tantùm collo perficiundæ causam degeneratio, figura,



sedes, œsophagei tubi, in cadavere examinatae, demonstraverunt. Erat enim anterior œsophagi pars postica tum crassior, tum interiora versus longè tumidior. Mento igitur in pectus inclinato, hâcque ratione tumore introrsum truso obturatum tubum; capite autem in posteriora reclinato, sicque vergente antrorsum tumore, apertum eundem fuisse, necesse est.

In ægrotâ alterâ pag. 8. glandulæ colli permultæ, ipsaque thyroïdæa, tumidæ, infarctæ, hydatis quoque eum sita in modum, ut deglutitioni nonnihil officeret; skirrhus densus, magnus, supra tracheæ arteriæ dichotomiam œsophagum premens. Prætereà miranda nonnulla in corde, quæ alio fortè, quàm hùc, spectent. Leipothymia enim, etiam ante percepta deglutiendi incommoda, feminam affligentes, & à cordis tumore, innatoque eidem officulo, & ab aortæ polypo, videntur duxisse originem. Vid. *Boerhaavius*, *Inst.* §. 827. 829. Licet enim haud conveniat omnia quæ mutata in cadavere, quæ degenera, quæ aliena reperiantur, pro morborum causis assignare, quorum sæpè meri effectus sint: tamen si ea adfuerint symptomata, quæ abs tali re, ut à causâ, aliis in



34 DE DEGLUTITIONE  
casibus soleant proficisci, meritò ean-  
dem videmur allegasse ut causam. Cæ-  
terùm deglutitio incommoda, laborio-  
sa, difficilis, ac tandem integrè impe-  
dita, & à coarctatione œsophagi tu-  
mente circumquaque collo, & thlipsi  
illius œsophagi regionis, in quam du-  
rum illud corpusculum incumbibat,  
percipitur debuisse.

Liberiora intervalla, quibus id mi-  
ferorum genus sæpè gaudent, conci-  
liaverunt huic feminæ, & glutinosæ  
materiæ circà ejusmodi obstacula con-  
fertissimæ sive absentia, sive paucitas;  
& spasmodum in hisce morbis frequen-  
tium quies, & exhibitorum quandòque  
paregoricorum vis. Nisi forsitan alia  
adhuc ratio subsit, ex aliis petita obser-  
vationibus. Quippè skirrhos mammis  
insidentes per annos indolentes expe-  
rimur, donec liberè hærent illi, vitæ-  
que omnis reginem servatur laudabile.  
At verò hæc vivendi ratio mutetur;  
morbi irrepant varii, potissimùm in-  
flammatorii; animi passiones exciten-  
tur, quæ vel impetum concitatio-  
rem atque acrimoniam, vel lentorem ma-  
jorem humorum, stagnationemque gi-  
gnant; en miserabilium mox dolorum  
querelas! Major scilicèt humorum im-



petus reddit turgida, quæ tumorem  
 quondam liberè circumcingerent, varii  
 generis vasa: nervorum hinc pressio,  
 vellicatio, & quæ porrò miseriæ indè  
 proficiscuntur, quæ quidem eò contin-  
 gunt ferociora, quò generatæ acrimo-  
 niæ sit peior gradus, motûs aucti vis  
 intensior. Atque è contrario, nata in  
 humoribus cùm lentor, tum spissitudo,  
 intelliguntur facilè in patulis atque li-  
 beris, quæ skirrhos ambient, vasis,  
 hebescere, stagnare, skirrhi augere  
 molem, hâcque lege immunes olim à  
 compressione vicinos locos premere,  
 necnon sensum excitare doloris, eò  
 quidem atrocioris, quò fuerit acrimo-  
 niæ à stagnatione genita major. Mu-  
 tentur iterùm dolores quæ generassent  
 causæ, adhibeantur quæ acrimoniam ob-  
 rudent, obtusorumque humorum æqua-  
 biliorum concilient motum; brevi ali-  
 quandò pristinam indolentiam homo  
 consequitur. Causa ergò doloris adest,  
 sed cujus sopitur ferocia, si prudens  
 cautela adhibetur: si negligitur, contrà.  
 Dicit quispiam skirrho externis in lo-  
 cis hærente, fieri hæc posse; internis,  
 ubi undique premitur, minime. At verò  
 hominem novi qui trimestri plus mi-



36 DE DEGLUTITIONE  
nūs spatio nonnunquàm dolorum, quos  
plerumque atrocissimos pati consueve-  
rat, prorsùs degeret expers, idque ad-  
hùc haud diù ante obitum. Denati ca-  
daver incidens, pancreas skirrhosum,  
lienis totam superficiem cartilagineam,  
&c. detexi, debuique concludere ærum-  
narum præsentem semper causam, posse,  
dum non irritatur, sæpè silere. Opti-  
mus *Baglivius* magis stupenda narrat,  
Bononiæ atque Pataviæ binorum ho-  
minum cadavera se incidisse scribit, qui  
quanvis in omni vitâ nunquàm essent  
lumborum dolores conquesti, ingentes  
tamen renum calculos cultro offerent  
secantis. *Bagl. prax. med. libr. 1. c. 9.*  
*Clarissimus Herm. Oosterdyck Schacht*  
*olim in Acad. Leydensi med. præct.*  
*professor venerandus in Oratione ha-*  
*bita 8. Febr. 1735. meminit calculi*  
*quatuor unciarum in uretere inventi,*  
*calculi aliùs unciarum septem in vesicâ*  
*hærentis; quos homines illi, ut ut sca-*  
*bros, citrà manifestum dolorem, sal-*  
*tem citrà illas notabiles querelas, dum*  
*viverent, gestassent. Hæc tamen ità se*  
*habere & sibi, & pluribus, aperta asse-*  
*rit ostendisse cadavera. Sunt equidem*  
*inter rarissima ponenda hæc; ad verò*  
*id saltem, quod quærebat, docent,*



posse in corpore humano residere causas ærumnarum, quæ haud æquâ vi, haud omni tempore, adfligant.

Quæri autem potest cur qui limpidus olim liquor ore exiisset; idem in multis deinceps crassior, imò sæpè adeò spissus prodeat, ut nisi screatu laboriosissimo atque violento, vix ejiciatur? *Pag. 29.* exponere, undè tenuis illa copiosaque lymphæ oriretur, conatus sum. Ergò ubi à sanguine tenuiora secesserunt, tota massa humorum majorem minoremve nanciscitur spissitudinis gradum: nova etiam alimenta glutinosa circa angustias hærentia; ipsum quoque liquidum assumptum quod moram trahendo liquidioris parte orbem fiat, gradum spissitudinis vehementer augment: quam quum ægri percipiunt incommodo sibi esse, magnæque molestiæ, totis abradere viribus ejicereque conantur.

In ægro tertio *pag. 11.* hepar & skirrhosum fuit, & purulentum. Durius, non perfectè skirrhosum, pancreas. Pulmo dexter inferiore parte consumptus, superiore skirrhosâ œsophagum comprimens, visus est. Undè causa morbi sedem hîc totam ferè in pulmone, œsophagum comprimente,



38 DE DEGLUTITIONE  
nacta est: sede igitur alia, eadem ta-  
men fuit affectu.

Namque pulmonis illa skirrhosa por-  
tio œsophagum comprimens, eundem-  
que sinistrorsum tandem propellens,  
intelligitur deglutitionem primò læde-  
re, ac demùm intercipere debuisse.  
A continuo deglutiendi conatu supra  
locum thlipseos sacci formam nactus  
est œsophagus; tum & à naturali partis  
contractione, dùm nulla vis interna  
tubum extenderet, nulla alimenta sub-  
stantiam alerent, admodùm invenie-  
batur coarctatus. Tussim à continuâ cor-  
rupti pulmonis dextri irritatione, quam  
tum acer humor, isque & purulentus,  
& ichorosus, & saniosus, tum agi-  
tatio continua superioris skirrhosæ par-  
tis, inevitabilem facerent, derivavi.  
Quod immani pectoris inter tussien-  
dum dolore ferè concideret, adscripsi  
tum eidem acri materie motæ, tum  
convulsivæ fibrarum corruptissimum  
hunc pulmonem costarum membranæ  
annectentium contractioni, ac ferè la-  
cerationi. Cur sicca esset tussis, pul-  
mone tamen putidâ saburrâ onusto, na-  
tum intellexi à pulmonis ejusdem bron-  
chiis superiore induratâ parte com-  
pressis, quæ adeò quidem magna esset,



ut asperæ arteriæ complures, eosque insigniores ramos, imò ramum post dichotomiam principem, multùm angustaret. Unico ergò eoque sano pulmone, focii inertis, ut in renibus sæpè fit, vices explente, homo hic vitam ærumnosam diù protraxisse visus est. Res exemplo non caet. Annis elapsis fermè duodecim militem vidi, cum phthisi pulmonali à longâ die luctantem, qui lecto surgens, caput genu utrique interponeret, sicque per vices, citrà ullam ferè tussim, veluti ex lagenâ effunderet puris dilutioris 4, 5, 6. unicas. Id quod præsens pluriès vidi. Hominis mortui cadaver examinans, video dextram thoracis cavitatem pure diluto albo mediâ parte plenam, pulmonis verò, præter quasdam bronchiorum reliquias ne ullum quidem vestigium. Ità ut, pure educto, ingens illa cavitas omnis vacua esset. Dùm me, cum adjuvante chirurgo accingo, ut quæram quâ ratione exesa illa, ablata, desiderata bronchia, ac vasa, se residuis initiis suis habeant cum truncis principibus, en! stolidum vulgus, rem subolfaciens, in clamores effundi, pessima minari, turbare examen: ut, cada-



vere sordidè reposito, nobis aufugiendum sit. *Riverius cent. 4. obs. 67.* refert, solo sinistro, dextro nullo, vixisse pulmone hominem: dextro thoracis cavo locatum ventriculum fuisse. Hominem illum vigesimum quartum ætatis annum attigisse, eumque militiam facientem sat commodè vixisse: febre autem tertianâ in castris contractâ, totamque durante æstatem, laborantem, tandem emerici ex antimonio parati crudelissimâ actione interiisse.

In casu IV. sedem causa fixit in ingenti steatomatosâ massâ, viscera nobilissima complexâ, arctante, premente. Optimi viri, qui cum *societate Edimb.* hunc casum communicaverunt, ultimum modò tragœdiæ actum videre, adeoque non potuerunt ætiologiam addere. Idcirco si fas est ægro, in improvisum mœrorem causam refundenti, adhibere fidem, suspicor ex tristitiæ & cordis palpitationis effectu omnem œconomiam animale[m] fuisse in hoc homine adedò turbatam, ut in loca non sua, in vasa aliena, alieni humores confertim irruerent. Exemplo omentum sit; quod egregii hi viri quâvis destitutum pinguedine invene-



runt, intereà dum ejusdem pinguetudinis vim tantam in thorace, & epigastrio, offenderent.

In casu V. solito loco insedit causa morbi, manifestamque secum affert explanationem: ut pluribus exponere velle sit supervacaneum.

In casu VI. alia omninò causæ ratio fuit, eundem tamen, quàm in prioribus morbum producens. Omentum enim hîc pluribus in locis skirrhosum, pluribus accretum visceribus; ità quidem ut hujus accretionis effectu jecur & lien cum ventriculo arctè cohærent. Cum diaphragmate cavo ventriculus skirrhosæ substantiæ ope coaluit: eidem gibbo cohæsit pulmo. Abscessus ex pulmone per diaphragma, perque skirrhosam intercapedinem, inventus est ipsum penetrasse ventriculum. Suntque & œsophagus, & os ventriculi superius, skirrhosa visa, plenaque abscessulis.

Causæ affligentis primò doloris difficilior indicatio est. Verùm si, quemadmodùm in historiâ refertur post inchoatum dolorem fuisse, ità antea vita dissolutior fuerit, profectò eadem, quæ priorum casuum, hîc obtinet ratio. Hinc percipimus natum in humoribus



## 42 DE DEGLUTITIONE

lentorem, natam acrimoniam, obstructions hinc, & skirrhos & dolores, perceptasque circa præcordia anxietates: hinc obstructarum partium rore carentium, quo naturaliter madentes à concretionibus cum vicinis præservantur, arctas invicem cohæsiones: hinc etiam ab accretis inter sese peritonæo omentoque molesti quasi cinguli sensum, epigastrium coarctantis & stringentis: indè catharticoꝝ remedioꝝ, & roborantium, & nervis amicorum explicamus inertiam; sudores à debilitate solidorum, fluidorumque tenuitate, post projectas vires natâ, matutino lecti tempore perceptos; hinc frustulorum quoque ter repetito vomitu ejectorum genesin explicandam arbitror, vel à materie deglutitâ, quæ repulsam ad obicem passa, ibidemque retenta, compingeretur; vel à coagulatione quæ lactis acido in ventriculo præsentibus facta esset: tandem diarrhœam albæ purulentæ materie, verè dictam in arte colliquantem, haud sistendam, mortemque inevitabilem.

Quantum ab abscessum, quæri potest quâ is cretus, quâ auctus ratione fuerit? Id verò ambiguum. Tum quæ primò abscederit pars, in skirrhum



quæ primò mutata, dictu incertum, inutile scitu, videtur. Coalita inter sese viscera quid vitiorum generent, quantum inducant rerum mutationem, quamque degenerem faciem, abundè observata anatomicorum demonstrant, luculenter propriâ manu factæ cadaverum sectiones evincunt.

Quæstio autem difficiliùs enodanda videtur cur homo carnes solidas teneriores, quàm liquidiora alimenta, nonnunquàm commodiùs deglutiret? Jamque ego feminam, quæ per vices idem experiatur, curandam habeo. In casu nono, *Hildani* historia, eadem est observatio.

Num quandòque major in affecto loco remora, quàm ut leni fluidorum impulsu, guttatim facto, vincatur? eamque remoram ossa solidior utpotè impulsu validiore appressa, vincat? Id verò nonnunquàm contingere hanc ob causam posse inducor ferè ut credam, quia virum hoc morbo propemodum enectum sæpiùs queritantem audiverim, quod minores haustus, atque sorbitiones, hæere sibi in œsophago, indèque regurgitari experiretur; dum liberaliores haustus procliviùs descenderent.



## 44 DE DEGLUTITIONE

Collegium Acad. Leopold. Nat. cur. Vratisl. in *historiâ morborum vratislavien-  
sium annor. 1719-1722. pag. 326.* non-  
nulla quæ læsam deglutitionem spe-  
ctent, habet; simulque nonnihil, quod  
obiter tangat, quam agitamus, quæ-  
stionem. Quippè describitur læsa de-  
glutitio vel ab ipsius œsophagi paralyti  
nata; vel talis, quæ à spasms orta sit;  
vel denique ejusmodi, quæ transitum  
concedat solidis, fluidis neget. Cujus  
dicitur causa esse natum quoddam in  
epiglottide vitium, asperæ arteriæ ri-  
mam minùs accuratè tegente: undè  
quod deglutienda solida epiglottidem  
ad trachææ aperturam arctiùs appli-  
cant, ea faciliùs transire autumant hi  
viri egregii; quodque liquida epiglot-  
tidem debiliùs apprimant, ea hinc fur-  
tim in asperam arteriam cadere, me-  
tumque suffocationis affere, arbitran-  
tur. Verùm quia epiglottis hinc radice  
linguæ retropremente, illinc ipsâ glot-  
tide assurgente, premi, sicque rimæ  
glottidi aptari debeat, variò ab ori-  
gine pendere hujus vitii causa potest,  
quanquam epiglottis inculpata sit. Undè  
nec hinc quæsito satisfactum.

Nostram verò conjecturam *Bonetus*  
confirmat, *libr. ij. pag. 31. obs. 6. &*



*pag. 37. obs. 24.* Confirmat & *Mangetus* in comment. ad easdem observationes. Præterea *Bonetus* ibid. append. j. scribit, seni osseas esse redditas ipsas laryngis cartilagineas, indeque tenaciorum ciborum minùs incommodam eum habuisse deglutitionem, liquidorum nullam; quod hæc illaberentur in trachæam, illa, utpotè vi pulsa majori, aptiùs descenderent. Simile quippiam ibidem refert append. ij. ex *Ballonio*.

Septima ægra causam habuit ipsis faucibus, superiorique œsophago insidentem: qualem & qui hunc casum descripsit medicus, in altero deprehendisse cadavere videtur. Nec desunt qui horum similia reperirent observatores. Alia ergò iterùm à prioribus fuit mali sedes. Hoc verò in casu, ut etiam in plurimis, quæ n<sup>o</sup>. viij. recensentur, de ætiologiâ dicendi non datur copia. In casu ix. historia nil habet quo deinceps causa demonstrari potuerit, In casu x. omnis œsophagus causæ morbi sedes fuit. Res cæteroqui exposita intelligitur in prioribus. Ut quoque quæ ex *Tulpio* & *Boneto* recensentur historia.

Egregius *Fredericus Ruisch* in tot editis à sese operibus sententiam suam de morbi hujus proximâ causâ non vul-



gavit: refert modo *adv. anat. dec. I. §. 10.* sententiam amplissimi viri *Joannis Mennes*, physici, & consulis *Hulstii* civitatis, mali sedem statuentis in glandulis dorsalibus dictis, œsophagum comprimentibus. *Vesalius* quidem glandulas hascè binas ternasve ad quintam dorsi vertebram propè œsophagum locari solere scribit: eas tamen quandoque deesse alii notarunt anatomici.

Incomparabilis *Hermannus Boerhaave* nullibi, super hoc morbo scripsit; consuevit autem in explicando §. 73. *Instit.* de eodem quotannis differere: esse scilicèt patrum nostrorum memoriâ ferè inauditum, potissimum modo animadversum, posteaquam fervidæ Asiaticorum forbitiones adedè invaluerint; ortum à glandularum dictarum dorsalium induratione, comprimentium œsophagum: quandoque & sibi visum à parotide glandulâ malè affectâ, totam deglutitionem impediante, duxisse originem.

Evicere, ni me animus fallit, quæ de causâ proximâ hucusque scripsimus, variis eam partibus, alio atque alio modo insidere; semper tamen deglutorum impedito vel transitu, vel descensu, vel utroque, de medio tollere



mortales. Nullam ergò sedem propriam, quam funestus ille hospes incoler, posse assignari; ideóque à pluribus medicis consultantibus plures diversas, æquè veras tamen, sedes morbi constitui, absque eo quod quidquam discrepent, posse.

---

### CAPUT IV.

**I**GITUR cùm morbus tot calamitatum fœcundus, tanto discrimine plenus, provectusque arte quâvis major ac penitùs desperabundus sit, requirit profectò uti nos, qui in salutem humanam præsentem tuendam, resarciendamque amissam, à Divinâ Providentiâ unicè destinati, qui ad miseræ Adamî prosapiæ ærumnas sedulò indagandas officii vi sumus, sacramentoque obstricti; qui denique aptæ iisdem medelæ excogitandæ, detegendæ, applicandæ, necessitate inevitabili, atque inexcusabili reneamur; ut, inquam, hâc in parte sedulam operam navemus.

Causis ergò disponentibus auferendis proderunt quæ humoribus, devictâ acrimoniâ fluiditatem debitam concipi-



#### 48 DE DEGLUTITIONE

liet; naturalem solidis flexilitatem;  
humiditatem, robur.

Applicari consueverunt talia, sed  
serò: eâ enim morbus infamiâ est, ut  
altas radices egerit, ubi incidit nosci;  
ut probè cognitus, vix medelam ca-  
piat; ut remediis tentatus, acerbius fe-  
rociat.

Ergò in prima ejusdem lineamenta  
advertendus animus erit, dum moriger  
& haberi consuevit, & reipsâ est.  
Adeoque ad perspecta prima laboran-  
tis deglutitionis initia, summa tum  
disponentium causarum, tum excitan-  
tium, ratio habeatur.

Communes praxeos regulas de obstru-  
ctis referendis consulentes, remedio-  
rum ad id aptorum densam offendimus  
sylvam, magnamque delectus faciendi,  
quo sua cuique propria conferamus,  
facultatem. In actum autem illa du-  
cturi, quàm non inutilia sæpè, quàm  
non aliquandò noxia esse, experimur?  
Quotus enim quisque est, qui animo  
non doleat selectissimorum remediorum  
inertem, in rebelle malum, actionem?  
Ecquem sæpè innumerabilium rerum,  
frustrâ quas applicuerit, non maximè  
tædeat? tot, inquam, plantarum om-  
nibus suis cum partibus adhibitarum?  
natiq̃ue



natiq̄ue indè multiplicis gummi, atque  
 resinæ? Tot salium neutrorum, alio-  
 rumve, mitè vel potenter solventium;  
 tartari vitriolati, salis polychresti, sti-  
 bii diaphoretici, salis tacheniano more  
 parati, terræ foliatæ tartari? Tot præ-  
 stantium saponum, veneti, amygdali-  
 ni, &c? Tam egregiè paratorum  
 de minerabilibus remediorum; necnon  
 aquarum selteranæ, spadanae, pyrmon-  
 ranæ? venæsectionis? purgantium?  
 Emeticorum? papaverinorum? vini  
 referantis medicatissimi? Ipsiusque mer-  
 curio excitati ptyalismi? Animo pro-  
 fectò concidimus, dùm cum morbo  
 strenuè luctati diuque, oleum atque  
 operam nos perdidisse demùm intel-  
 ligimus. Legantur, quæso, attentè;  
 diurnâ volvantur nocturnâque manu,  
 quæ à laudatis omnium ferè nationum  
 auctoribus consilia habita sint, quæ  
 excogitata auxilia, quæ concinnatæ  
 formulæ, quæ denique genus omne reme-  
 dia cum copiosè, tum lectissimè, admi-  
 nistrata fuerint; in memoriam revo-  
 centur, quæ quoque nostrum auctore  
 applicata sint studiosissimè; vel ultrò  
 patebit quàm parùm, nisi in mali pri-  
 mordiis, auxilii attulerint, quàmque



50 DE DEGLUTITIONE  
sæpè eidem irritamento fuerint; ne  
ipsa quidem ptyalismo peracta cura  
excepta, quam tamen votis *semel* suc-  
cessisse suis, ad *Ruischium* scribit am-  
plissimus *Mennes*. *Ruisch. adv. anat.*  
*dec. 1. §. 10.*

Methodus alia ergò examinanda est,  
quam vaga experimenta docuerint,  
effectus probarint, confirmarit retiocini-  
um.

Qui inchoante morbo medicâ ope  
vel non utuntur, vel carent, hydro-  
gala, & lactis serum, lac ebutyratum,  
abundè haurire nonnunquàm deprehen-  
duntur, res in promptu cunctis, pretio  
viles: multiquè sreatum incipientem  
malè habenti pectori adscribentes, com-  
muni, nec vituperandâ, plebeiiorum  
consuetudine, ad moderandum illum  
mel adjiciunt, iisque quamplurimùm  
usi levamen sæpè capiunt. Quum au-  
tem *artem experientia fecit*, exemplo  
*monstrante viam*, fit hinc medico com-  
pertum, quàm hîc diluentia prosint sol-  
ventibus mista: eique ratiocinanti apta  
videri incipit, quam averruncando malo  
inertem credidisset, simplicissima me-  
dela. Quippè crassum, fateri cogor,  
erramus errorem, dum simplicibus con-



tentâ naturâ sapientiores velimus vide-  
 ri. Mortalium candidissimum, simul-  
 que sapientissimum, verum medicinæ  
 oraculum *Hermannum Boerhaavium*,  
 præfens præsentem audivi fatentem er-  
 rorem olim hâc in re suum: " Quon-  
 dam risisse se, aiebat, *Hippocratis*  
 simplicitatem in variis abdominis  
 morbis aquam mellitam, iners reme-  
 dium, apprimè laudantis: eâ quippè  
 se fuisse opinione imbutum, ut acriora  
 medicamenta, sales varios, imò al-  
 kalinos tam fixos, quàm volatiles, &  
 id genus alia, sola esse crederet, in  
 morbis quæ forent actuosa: id tamen  
 observasse, qui systematis hujusce pæ-  
 nas luerent, ipsos ægros suos esse, skir-  
 rhosâ præprimis diathesi laborantes.  
 Hinc sese tædio affici, infortunis  
 lassari legendoque ac ruminando *Hip-  
 pocrati* se totum, se integrum, dare:  
 mirari tum nervosam simplicitatem,  
 stupere brevitatem sapientem, quin  
 tandem systemare suo multis superio-  
 rem parasangis, dignissimamque, cui  
 pareant omnes, prædicare. Asseve-  
 rate sese & posse, & debere, hippo-  
 cratica sequentem se egregiè nonnun-  
 quam inveteratos morbos curasse, im-



52 DE DEGLUTITIONE  
» medicabiles levasse feliciter «. Undè  
idem in oratione de commendando studio  
hippocratico, » Hippocrates, inquit, ob-  
» temperans morbo, eidem imperat:  
» suis illum artibus vincit: dùmque de-  
» ficientis vitæ vires erigit, vel furen-  
» tis in sua damna impetus temperat,  
» pauca, sed certa; vilia, sed apta, re-  
» media invenit «.

Sanè quotquot hujusmodi ægros cu-  
randos habui, hos vitam observavi  
tolerabilem egisse, dum in provectiore  
hoc morbo hisce simplicissimis uteren-  
tur, imò nonnullos integræ sanitati  
redditos, qui, inchoante malo, horum  
usum & copiosè, & diù, adhiberent:  
efficaciorè autem hæc opem attulisse,  
cum herbis & emollientibus, & sapo-  
naceis, aptè juncta.

Quid enim? Emollire & humectare,  
quæ aruissent; quæ obdurata essent,  
aperire; quod compactum, dividere;  
attentare, quod concretum esset, una  
solaque in hoc morbo indicatio fuit.  
Quæ simplicia recensui, absque ullâ  
vi, summâ cum efficacîâ, nullo cum  
periculo, omne tulerunt indicationis  
punctum.

His verò vel non, vel serò, vel



parciùs, vel frustrà, adhibitis, actuosiora excogitare remedia ars dicitur, ususque nonnullam, in multis verò ne minimam quidem, opem præstat.

Nonnullam præstare opem dico, in incrementis obstructæ partis, skirrhosæque tum diminuendis, tum auferendis. Quippè ubi obstructio vel skirrhus alicubi notabilis hæret, vicina eidem vasa, vicinæque glandulæ, quominùs suum liquidum per obstructa vasa expedite transmittant, impeditæ, novas formant obstructions, veteres firmant, compingunt, augent. Obstructionibus hisce & recens natis, & etiamnum nascentibus, reserandis, si simplex methodus pag. 50. proposita minùs profuit remedia dicta in arte *deobstruentia*, quæ pag. 49. magnam partem recensui, conferre poterunt, & solvendo impacta, & vasa lateralia expediendo, quo deinceps per eadem moles soluta transeat. Hâc ratione recentis tumoris aufertur augmentum, manente nihilominùs primò affectâ morbi sede; quam sæpè eadem irritant remedia, in dirumve cancrum convertunt. Ipsa enim morbi historia eam obstructorum naturam in his locis docere vide-



tur, ut perpetuo motu & affrictu, & irritatione, haud modò non solvantur, sed brevi pessimam lethiferamque conditionem induant.

Nec tamen inficias ivero ad percepta prima ipsius morbi indicia etiam alia posse, præter hanc simplicem methodum, proficua fore. Ut enim recentes obstructions glandularum skirrho finitimarum aliis remediis diximus solvi nonnunquam posse, ità & adhibita illa initio ipsius morbi profutura credere fas est: initio, inquam, ut enim sæpiùs innui, citò morbus in invincibilem ferè properat pertinaciam, maturatoque hinc opus est. Remediorum ad id utilium integram classem, pag. 49. recensui. Hic verò loci quid picem, ac præcipuè piceam aquam, non commemorem; egregium illud balsamum solvens, tot laudibus à rev. G. Berkeli, episcopo britanno, celebratum, tot encomiis ornatum, tot comprobatum experientis? Princeps solventium est, adeoque videtur malo in incunabulis degenti adhibitum, spem curæ allaturum maximam. Sero equidem vocatus, in proVectiore morbo propinavi, sed frustra fui. Quid de spongiâ vase clauso ustâ



prædicem; inertissimo, ut videtur, remedio, prorsusque inutili? Quod tamen veterum nonnulli, quod austriaci medici, (quemadmodum nobilissimus *van Swieten*, augustissimorum romanorum Imperatoris atque Imperatricis archiater, haud ita pridem ad me scripsit), in glandulæ thyroïdææ tumoribus feliciter curandis adhibent; quod etiam Amstælodami à germano medico in pluribus totius colli tumoribus duris summo applicatum cum successu, fidei novi auctoribus.

Verùm ut, quod dixi, repetam, vix videas quos prima mali labes reddat anxios futurorum. Spasms ventriculorum autumant flatibusque torqueri; eamque ob causam quæ spasmos solvant, quæ discutiant flatus, pessima mali irritamina, sumunt affatim. Suntque qui ventriculum sibi debilem esse, glutineque, & acore, & bile infarctum, rati, magno cum damno suo, catharsin sponte excitent, ore, anoque. Qui equidem error haud ægrotantium solus, sed & medentium est, quod etiam mihi olim, dum moribus obscurior esset, contigisse, fateor; & laudatis suprâ auctoribus non paucis evenisse constat.



Interim, quod dolendum, patitur æger; dumque hoc morbo laborare certò nescitur, ferè perit.

---

## CAPUT V.

QUUM subdolus morbus huc usque enarratus animum requirit attentissimum, qui quid rerum geratur, confestim perspiciat, idoneaque remedia mox applicet; distinctam morbi ideam menti oportet præsentem esse, morbumque probè internosci ab aliis gulæ atque ventriculi incommodis, quibuscum affinitatem habere quàm maximam videri possit. Opere pretium ergò erit paucis recensere, quæ de spurio morbo, eo scilicèt, qui causam fixam atque perennem non habere appareat, in operis divisione inuimus.

Citatus suprâ medicus *Vander Sterre*, lib. *prax. med. chir. obs.* 8. refert ad se venisse hominem, deglutiendi facultate adedè privatum, ut nec liquida deglutire, nec solida posset; doloris cætera immunem. Causam expiscanti sibi in prægressâ aëris frigidi in calidum cor-



pus alluvie eam sitam esse visum esse  
 extemplo ex spirit. C. C. & tincta  
 Cast. parata injectione sustulisse ma-  
 lum. Gulæ quippè fuisse incipien-  
 tem absque inflammatione resolutionem.  
 Injunxisse tamen rustico per aliquot  
 dies purgante remedio, injectuque ure-  
 retur eodem. At verò triennio posthac  
 elapso contigisse idem ad sese ut redi-  
 ret agricola, quæritans quam offam  
 esset deglutiturus, eam inis immobilem  
 faucibus hæerere. Tum se, magno cum  
 hominis detrimento, pulcerrimæ curæ  
 immemorem, spongiâ argenteo filo  
 alligatâ bolum in ventriculum detru-  
 sisse, quemque curatum crederet, di-  
 misisse hominem. Eum tamen postera  
 die æquè miserum rediisse. Curam ergò  
 enemate se tentare voluisse, quo motu  
 intestinis concitato, eundem & œso-  
 phago conciliaret: sera autem vespere  
 dum priora recordaretur, se hominem  
 eodem, quo olim, modo, de integro  
 curasse.

*Platerus, obs. lib. I. cap. de transitûs  
 per gulam defectu, scribit vetulam in  
 nosocomio cum amissâ loquelâ in sum-  
 mam incidentem deglutiendi difficulta-*



tem, pluribusque septimanis jure car-  
nium & lacte ægerrimè sustentatam,  
demùm sanitati integræ redditam esse,  
solo, quem ex salviâ vino incoctâ pa-  
rasset, gargarizatu, & aquâ vitæ, cui  
thymus intabuisset, ore contentâ.

Similem casum, curamque, *Acad.  
Leop. nat. cur.* loco ante memorato re-  
fert. Paralysis utroque in casu causa  
proxima fuit.

*Willisus, pharm. rat. part. I. sect. 2.  
cap. I.* historiam refert hominis, diu  
quidem impedito deglutitorum in ven-  
triculum descensu laborantis, jam verò  
extrema agentis fere. Is sive inferioris  
œsophagi paralyfin, sive qui deglutitis  
remoram faceret, tumorem, in causa  
esse arbitratus, spongiâ officulo balenæ  
flexili alligatâ, protrusit deglutita in  
ventriculum: id quod longa deinceps  
annorum serie ipse sibi facere homo  
potuerit. Similem fere casum *Stalpaard  
vander Wiel, cent. II. part. I. obs. 27.*  
habet. Evidenter hic paralyfin argui-  
mus.

Imo luxatio ossis hyoidis impedire  
deglutitionem potest. *Egregius Ant.  
Maria Valsalva, tract. de aure hum.*



cap. II. in describendâ fabricâ usque  
 quarti paris muscutorum pharyngis,  
 hyopharyngæi dicti, quod sextum par  
 Santorini audit, hæc habet: » à muscu-  
 » lorum istius paris violenta distensio-  
 » ne, quando videlicet nimis copio-  
 » sa, & non benè mansa cibantium  
 » quantitas in pharyngem protruditur,  
 » potest *luxationis* species succedere in  
 » appendicibus cartilagineis ejusdem  
 » ossis hyoidis: quod ego in muliere  
 » bononiensi à deglutitione crassioris  
 » boli bovillæ carnis non benè mansæ  
 » observavi. Putabat mulier multisque  
 » imposuerat, se divexari à bolo in  
 » faucibus hærente; quem ut indè de-  
 » turbaret, varia manuum & medica-  
 » mentorum auxilia tentavit, sed in-  
 » cassum. Jamque elapsum triduum  
 » erat absque eo quod ullum cibum,  
 » vel potum, assumere potuisset, cum  
 » denique à me opem quæsit: ego  
 » verò omnibus perpensis cum in ali-  
 » qua ex appendicibus cartilagineis  
 » ossis hyoidis luxationem suspicarer,  
 » partem, ut anatomica indicabat co-  
 » gnitio, ita digitis contrectavi, &  
 » ilico per unam vel alteram contrec-



» tationem, omnia in pristinam sani-  
 » tatem redacta sunt sic, ut immedia-  
 » tē, absque ullo deglutiendi incom-  
 » modo, jusculum sumere, & cibum,  
 » mulier, modo desperata, potuerit «

Spasms potest similis morbus gigni.  
 In *Act. Edimb. part. I. §. 28 Robertus  
 Aird* post efflorescentias, post colicos  
 dolores, post febrim spasms convul-  
 sionibusque stipatam, incidit in deglu-  
 tiendi impotentiam: quam tandem ca-  
 taplasmate discutiente anodyno, &  
 tincturâ roborante nervinâ, medici vi-  
 cerunt.

Anni 1742. æstate fere mediâ, mu-  
 lier septugenaria, corpore calens su-  
 dansque, cogitur stringente acri boreâ,  
 apertis cubiculi fenestris, diù immo-  
 rari, unde mox refrigerari collum sibi,  
 febrimque adesse percipit. Tum nutare  
 caput, pendulum fieri, imperatis non  
 obsequi motibus. Febris in xj. diem  
 perduravit, quo ipso die urina criseos  
 factæ signa dedit 14. die febris per-  
 fectè judicata dici potuit. Nihilominus  
 à septimo die suffocatio ægram singu-  
 lis propemodum vesperis incipit affli-  
 gere, dieque xj. deglutiendi auferrî



facultas, ut deglutita tandem per nares redirent. Monita mulier inter deglutiendum nares clauderet, id se facere asseverabat nullo modo posse, quod sibi respiratio, mox ubi ut tentaret, interciperetur. Vox enim ipsi ingrata, quemadmodum illorum, quos perperam ajunt per nares loqui: his enim per obstructas nares vix, difficulterve, transit aër: huic vero feminæ licet obstructæ multum nares essent, viam tamen aër pandere sibi per eandem coactus fuit, quia à velo palatino atque uvulâ laxatis, solitoque magis in anteriora pendulis, liberum aëris iter occlusum erat, 24. morbi die interiit. Frigus effecit nervos octavi, fortè & noni, paris, per collum decurrentes, precipuèque illos, qui deglutationi potissimum inserviant ramos.

Hysterica mala quàm frequenter pessimas anginas æmulenter, deglutationem lædant, hancque ob causam imponant incautis, notum adedè; ut opus explanatione non habeat; nec reperias qui hæc ab eo, quem tractamus, morbo, non brevi discernat. Tamen mihi tem-



perare nequeo, quin memorandum casum addam. Anno, 1743. mense novembri, contigit ut femina quinquagenaria, menstruo fluore carens, macilenta; hysterica, melancholica, avidissimè pisa dicta grisea comedens, sentiret fauces sibi subitò constringi, ut nec fursùm premi videretur bolus, nec deorsùm posse. Incassum ferè omnibus, quæ artis essent, tentatis, injiciendum esse decrevi enema eccoprocticon, ejusque peracto effectu, aliud, ex vj. unc. lactis dulcis, & opii gr. iv. paratum, esse immittendum. Oboriebatur indè placidissimus somnus, eoque finito, restituta in hunc usque diem deglutitio.

De iis affectibus, quos spinæ, ossa, aliæque quæcumque similes materies gignant, hîc loci differere alienum videtur: auctores chirurgici passim, ac præcipuè *Memoria dicta Acad. Reg. chirurg. paris.* qui pulcerrimos horum omnium casus curationesque referant, adeundi sunt.

Parùm arti, non diffiteor, tractatulo hocce contulisse videbor. Namque modo in animo habui calamitosum



morbum, qui in obscuro hucusque,  
 & dubio, & incerto magnam partem  
 jacuisset, prodere foras; quâ illum ra-  
 tione invadere homines, incrementa  
 capere, inque mortem ducere, pluries  
 animadvertissem, neve labili memoriâ  
 exciderent chartis mandassem, secun-  
 dum artis regulas describere; qualif-  
 nam causa proxima esset, quamque  
 diversam sedem sæpè obtineret, ex  
 ipsis demonstrare cadaveribus; quæ  
 sparsim hîc illîc super hâc re tum ve-  
 teres haberent, tum recentiores aucto-  
 res, fideliter colligere; morbi pro-  
 virili explicare phænómena; curam  
 quàm esset difficilis ostendere; tandem-  
 que quâ fortunatiore methodo forsan  
 in posterum curandus videretur innue-  
 re paucis. Atque hîc mihi terminos  
 figo. Utque in opusculo de *colicâ Pic-  
 tonum*, ita & hîc optimos provo-  
 artis proceres, cultores medicinæ om-  
 neis, hæc grata, hæc accepta velint  
 esse; tantum prolata arbitrari, ut de  
 ditissimâ penu suâ promant, quæ  
 in hisce ægris tum invisendis, tum  
 quandóque curandis; tum in exami-  
 nandis hoc morbo extinctorum cada-



veribus, in artis detexerint incrementum; quæque vel morbo curando saluberrima, vel saltem eidem mitigando aptissima observaverint. Quibus dum mihi rem gratissimam præstent, miseris mortalibus præstabunt utilissimam.

**FINIS.**



ANTONII DE HAEN,  
CONSILIARII ET ARCHIATRI  
S. C. R. A. MAJESTATIS,  
NECNON MEDICINÆ PRACTICÆ  
IN UNIVERSITATE VENDOBONENSI  
PROFESSORIS PRIMARI,   
QUÆSTIONES  
SUPER METHODO INOCULANDI  
VARIOLAS.



PARISIIS,

Apud P. F. DIDOT, Junioem, Bibliopolam,  
ad Ripam Augustinorum, Propè Pontem Sancti  
Michaëlis, sub signo Sancti Augustini.

---

M. DCC. LXIX.

*Cum Approbatione & Privilegio Regis.*



*Nec trepidus ero ad proferendam sententiam  
meam, in quâ magis amabo inspicî à rectis,  
quàm timebo morderi à perversis . . . magis-  
que optabo à quolibet reprehendi, quàm, sive  
ab errante, sive ab adulante, laudari. Nullus  
enim reprehensor formidandus est amatori ve-  
ritatis. Etenim inimicus reprehensurus est, aut  
amicus. Si ergo inimicus insultat, ferendus  
est; amicus autem si errat, docendus; si docet,  
audiendus. Laudator verò, & errans confirmat  
errorem, & adulans illicit in errorem.. B. Au-  
gustinus, libr. 2. de trinit. in proœmio.*





# QUÆSTIONES

SUPER METHODO INOCULANDI

VARIOLAS.

**T**RIGINTA, & quod excedit, anni sunt, cùm primum ex *Thraciâ* insitio variolarum in *Angliam* inducebatur. Angeli famâ ejus capti, eandem mox suam in *Americam* invexere. *America*, vice versâ, illam in *Angliâ* adversa fortuna quassatam, & sepultam, resuscitavit: ex quo cunctorum ferè encomiis atque suffragiis totas *Britanniæ* insulas sibi subjecit. Inde verò varias ad nationes delata, tenuem hîc, illic duram sortem, apud plures, nacta est.



#### 4 Q U Æ S T I O N E S

Operæ pretium erit mutabilis infitionis fortis apud Angelos, exiguique apud alias gentes progressus, indagasse originem.

Vitæ humanæ conservandæ studium nimis eam laudibus forsan extulerat; repudiaverat, instructa haud satis in principio rerum, inquieta conscientia. Lite utrinque motâ, en mox tristitia dedit misera mortalium conditio suæ corruptionis exempla! Mens præoccupata utrâque à parte visa est, historiæ ejusdem, singulique experimenti, mira pro animorum dispositione varietas; libido calumniandi; odiosus dominandi in alios amor, undique apparebant.

Obnubilata hinc veritas his, qui neutram partem amplexi, verum unice perquirebant. Maxime verò, quando viles utrinque animi ad sententiam suam per fas, nefasque, tuendam, falsa pro veris, incerta vendi-



SUPER INOCULATIONE. §  
tabant pro certis; nimirum ut  
inconditâ argumentorum mole  
eliderint fauces adversariis. Tunc  
enim, licet in summâ rerum  
alterutra pars duntaxat veritati  
litaret, erraret alterutra; utra-  
que tamen falsa refellendo, quæ-  
dam verissima protulit. Effectum  
hinc, ut qui belli finem anhelî  
præstolabantur, demum projice-  
rent animos, spemque totam,  
fore ut certi quidquam unquam  
adipiscerentur.

Numquid sapienter illi? Haud  
omnino. Bonæ causæ integrita-  
tem coram tribunali non labe-  
factat illa ejus calamitas, quod  
sinistros patronos nacta sit, quod  
infidos, quod mendaces. An  
justè causam christianam deri-  
debat *Julianus Apostata*, quod  
erroneis falsisque ratiociniis can-  
dem defendere *heterodoxi* anni-  
terentur? Profectò est sedulò in  
hisce quærenda quæstionis ori-  
go; sedatoque animo & quid,



6      Q U Æ S T I O N E S  
& quousque, verum utrinque dictum sit, examinandum, videndumque accuratè quid demùm in quæstione superfit, ad quod sapienter, & directè, respondere impediverit altercandi amor, idque ea præcipuè in re, quæ salutis communis tantopere interfit.

Hæ porrò me causæ impulere, præcipua quæstionis capita sedulo colligerem, ad quæ à magnis, quos veneror, viris, infitionis patronis; necdum ita directè responsum sit, ut fluctuantes animos convincant, totamque gentem medicam infitorem reddant. Sane hi defectus suspensum & me tenent, moranturque, ne nostræ numerosæ academicæ juventuti hanc suadeam, hanc laudem methodum; neve publicè eam, privatèque, defendam, infinuem, inducam.

His igitur quæstionibus ubi directè fuerit satisfactum, manibus



SUPER INOCULATIONE. 7  
ibo pedibusque in sententiam  
affirmantem : conabor infitio-  
nem brevi ex anglicâ austria-  
cam facere germanamque :  
doctrinâ demùm promovebo ,  
adhortamento , exemplo. Præ-  
primis verò eum , qui mea mihi  
dubia excusserit , æternum vene-  
rabor.

Si qui verò sint , quos car-  
pendi , calumniandique animus ,  
virulento in me calamo ducat ,  
sciant hi , uti nec formidine  
eorum ab iis , quæ inquieta con-  
scientia dictabat , evulgandis ab-  
stinui , ita neque eosdem res-  
ponso me dignos habiturum.  
Concludent quippe sapientes  
desperatam admodum eorum  
causam , quæ feminarum in  
foro altercantium more defendi  
debeat. Hæc sola consideratio  
quodvis responsum , ipsis un-  
quam dandum , præscindit.

Quæstiones igitur principales ,



8 Q U Æ S T I O N E S  
ad quas directa responsio deside-  
ratur, hæ sunt :

I. Utrum infitiva methodus  
per DEUM licita ?

II. Sitne eandem plures in vitâ  
servatura, quàm via dicta  
naturalis ?

III. An certo certius quivis  
penè homo debeat variolis  
laborare ?

IV. Numquid omni dubio va-  
cet, quod inoculatio, five  
effectum sortita, five irrita,  
hominem à variolis perpe-  
tuò immunem præstet ?

Hoc ipso ordine singulas quæ-  
stiones examinabo.





## §. I.

*Utrum insitiva methodus per  
DEUM licita.*

QVÆSTIO hæc sequentem inclu-  
debat difficultatem. Mortalium nemo  
ullum in propriam vitam jus habet;  
adeoque neque jus habet suam vitam  
in evidens descrimen conjiciendi. Ino-  
culatio autem hominem in tale discri-  
men conjicit. Ergo illicita est.

Argumentum sic probabatur: de-  
mus, secundum plures insitionis pa-  
tronos id verum esse, quod mortalium  
vigessimus citrà variolas moriatur: po-  
namus ab insitione mori vigesimum  
quemque. Nonne igitur ille, qui ino-  
culationem subit, & qui fortè vigesi-  
mus ille immunis fuisset, sese periculo  
exponit, ne jam ille vigessimus sit,  
quem insitio de medio tollat?

Claudicare hoc argumentum pars  
altera dixit. Et quidem ita, ut vix  
centesimum mori ab inoculatione nonnulli  
asseruerint; alii vix quingentesimum; alii  
verò nec millesimum. Et quemadmodum



*in definiendis ab insitione mortuis graviter erratum esset, ita & in determinando numero illorum, qui per omnem vitam à variolis facti tecti viverint, deviatum à vero esse; siquidem vix milesimus citrà variolas diem obiret.*

Ratiocinium hoc, nisi me animus fallit, audaculum est, fundamento destitutum, experientiae contrarium; ut ad §. III. demonstrare conabor.

Verùm concedamus pro momento justum hoc ratiocinium esse id tamen minime solvit quaestionem. In re absolute vetitâ, frequentius rariusve periculum locum non habet, nullaque exceptio datur, nisi expressâ legislatoris voluntate. Si igitur nemini mortalium jus competat in propriam vitam, nullo casu excepto; æquè parum licebit eam rariori, quàm frequentiori, exponere periculo.

Sed visum quibusdam est peremptorium sese responsum habere. Sunt qui nunquam variolis laborent; suntque quos nunquam insitio contaminet; atqui hi iidem sunt. Ergò insitio nunquam periculum mortis inducit illi, quem naturales variolæ nunquam impetivissent.

Utinam minorem suam propositionem probarent! Verùm id non posse



SUPER INOCULATIONE. II

eos, adeoque totum ruere argu-  
tem, patebit ad §§. III. & IV.

At verò demus iterum minorem se  
suam posse probare? numquid quæstio-  
nem solverint? Non arbitror. Si ne-  
mini jus in vitam propriam auferen-  
dam, utique etiam non in eam abbre-  
viandam. Atqui insitio saltem conjicere  
hominem potest in periculum abbre-  
viandæ vitæ, qui alioqui fortè post 30.  
annos variolas habuisset. Ergo.

Petitur igitur ad datam quæstionem  
*directa* & evidens responsio, hucusque  
desiderata, concessa nunquam.

Excutiamus nunc responsa *indirecta*.  
Licida habentur, secundum divinas,  
humanasque leges, exempla benè mul-  
ta, in quibus se exponit homo minori  
periculo, magis evitaturus. Suntque  
inter hæc tum evidentiora iis, quæ ab  
insitione, tum frequentiora, pericula.  
Ergò saltem licebit periculum tantil-  
lum, vix contingens, subire; quo &  
majus, & inevitabile, averruncetur.  
Expendamus ordine singula.

I. Si ideo insitio vituperanda, quod  
nonnulli indè moriantur, medicis ultra  
vetitum erit venam tundere; emeticum  
exhibere, purgansque; artus amputare,  
secare calculos; quandoquidem multi indè



*pereunt. Atqui hæc adeò periculosa permissa sunt, ut mors præcaveatur. Ergò multò magis inoculatio.*

Sed, si quid video, defectuosa omninò insitionem inter, & medica hæc auxilia, comparatio est.

Medicina cum auxiliis suis à DEO creata, DEO gaudet auctore. Eccli. 38. Numeratque in suis cultoribus prophetas, evangelistas, principesque christianæ fidei martyres. Nil simile hesternæ insitio poterit proferre. Ex hoc capite auxilia medica jam justa, imò sacra, habentur. Nec dicat quis *medicinam, suis in primordiis simpliciore, violentis auxiliis his caruisse.* Nam laudatur B. Lucas ut medicus. Coloss. v. 14. Medicum eum eundem cum evangelistâ fuisse, doctissimus Freind inter cætera indè arguit, quod nemo evangelistarum morbos plures aptiore idiomate medico græcè adpellaverit, quàm suo in evangelio Lucas. Sed Lucæ temporibus, jam ultrà iv. secula, ipsissima hæc enarrata auxilia medica, in usu fuisse, Hippocratis monumenta demonstrant.

Deindè, nec purgans, nec vomitorium unquàm, ut aiunt, *per se*, at modò *per accidens*, lethale fuit. Sed



Variolæ, non *per accidens*, sed *per se*, periculosæ sunt.

Tamen malè administrata hæc artis auxilia lethum pepererunt. Concedo : ideoque oportet eadem benè administrare. A benè administratis mors non sequitur. Numquid idem de insitivis variolis quis affirmet ?

Sed auxiliâ hæc adhibentur etiam dubiis in casibus, ubi ab eorum adplicatione ingens nonnunquàm est discrimen. Id verò licet. Cur ergò inoculare non liceat in casu minime dubio ?

Ipsam hoc dubium culpâ exsolvit artem, non insitionem. Versatur æger in præsentissimo mortis periculo, ni juvetur, mors insequatur necesse est. Certa mors ut præveniatur, incertum subhibetur remedium. Numquid ut affirmare de homine sano, insitionem subituro, queam ? Nullo versatur in periculo. Variolas fortè nunquàm passurus fuisset. Sin verò patiatur quondam easdem, majus fortè non subibit, quàm nunc in inoculatione, periculum. Imò si à variolis naturalibus est moriturus, poterit mori postquàm 30. 40. 50. annis, patriæ, Ecclesiæ, familiæ, egregius extiterit utilisque civis. Ità ut is, qui insitionem subit,



quâvis peccet ratione. Cadit ergò vîs  
tota comparationis.

Missio sanguinis potest equidem  
infelix esse, sive incuriâ, sive igno-  
rantiâ, tum medici eam suadentis,  
tum facientis chirurgi; sed infortunia  
hæc venæ sectioni non debentur. Si  
bonus medicus secundùm artis regulas  
suaserit illam si aptus chirurgus eam,  
cum bonis instrumentis, ex suæ artis  
principiis, instituerit; venæ sectio  
per se est auxilium innocuum. Quis  
id ita de insitione affirmet?

Si artus amputem, si calculum fe-  
cem, facio quidem periculosas opera-  
tiones; at verò citrà eas, & miserrimè,  
& certò, & sæpè citò, morien-  
dum misero fuisset. An id ita in inocu-  
lando?

*II. Ex sexaginta gravidis una passim  
moritur. Femina nihilominus nubere li-  
cet. Licet proindè in bonum generis hu-  
mani se submittere periculo. Quod si  
liceat periculum sexagesimi subire, multò  
magis periculam millesimi.*

Qualisnam comparatio! Matrимо-  
nium ab ipso Creatore, Gen. 2. insti-  
tum est: itane insitio? Matrimonium,  
catholicus loquor, ab Ecclesiâ catho-  
licâ creditur à benignissimo SERVATO-



SUPER INOCULATIONE. 15  
RE ad sacramenti euectum dignita-  
tem: etiamve insitio? Quæ igitur simi-  
litudo rem inter; institutam à Deo,  
nobilitatamque, & insitionem; quæ  
neque Deo auctore gaudeat, quam-  
que exercere nùm liceat; adhuc sub  
iudice lis sit?

III. Plures homines unico mensis spa-  
tio in mari pereunt, quàm plurimis annis  
insitione. Licitum tamen, v. g. ut pater  
munus egregium suo filio conciliet, quo  
frui tamen, non nisi mari transvectus,  
possit. Si majus periculum fortuna causâ  
subire liceat, utique minus, ipsius vitæ  
causâ subire licebit.

Providus fator generis humani mare  
posuit, ceu commercii diversarum  
gentium vinculum; quo ipsæ inter sese  
mutuis subvenirent necessitatibus. Ipse  
panis, inevitabile illud vitæ sustenta-  
culum, apud Batavos deficeret, ni illi  
eum ex mari Baltico sibi compararent.  
Vinum creayerat Deus ut cor hominis  
exhilararet: hoc largissimi Creatoris  
beneficio Angeli carerent, ni iter ad  
Britannicas insulas mare panderet. Pis-  
cibus, & pulchris vegetalibus, mare  
replevit, ut eos indè homines improbo  
caperent labore. Petrum jussit altum in  
mare navem duceret, quo diviti gau-



deret piscatu. Dùm ob magnificentiam telluris dispositionem *David* rex divinas laudes canebat, simul admirabatur vastissimum mare, tam infinitorum animalium genere refertum, quàm mortalibus navigabile. Ipse Servator mare transivit, apostolos transire iussit. Quì enim aliter Britannicis insulis, Siciliae, Corsicae, Sardiniae, Melitae, Rhodo, Candiae, &c. fidem christianam hi, eorumve successores, inferre potuissent? Hæc optimè *Grotius de mari libero*.

Hic igitur video rem quidem per se periculosam, sed quæ tamen Deum auctorem habeat, uti animi corporisque bona genti cuique distribuat. Quid verò hic inoculatio? An gaudere eam auctore & institutore Deo quisquam probaverit? probare possit?

Marina ergò itinera quum institutum referant Creatoris, insitiva methodus cum nil tale redoleat; nullam omninò inter sese tolerant comparisonem. Nullius ergò ponderis, quod indè petitur, argumentum est.

*IV. Minus malum majori praefertur, consuetudine adprobatâ omnium christianorum populorum; quandò v. c. navis, contagione infectâ potius pleno in mari,*



cum omnibus hominibus, perire permittitur, quàm ut in portum excepta, contagium propaget: vel quando tempore pestis, limitibus civitati circumpositis, quisque limitum transgressor sclopeto occiditur, ne urbem ingressus disseminet contagium.

Ergò si à variolis naturalibus septimus quisque, secundùm datos calculos, moritur, & ab inoculatione tantummodò millesimus; licebit; præstabitque, unum, quàm 143. mori.

Respondeo præscios naucleros esse, quod ex portu contagioso solventes, nunquàm sint aliis in portibus admittendi. Et ubi ad pestem averruncandam cancellos urbes circumpositos habent, quos qui transierint occiduntur, schedulis faltem affixis infligendæ mortis pœna ad cancellos legitur; & qui transiliturus esset, adeoque occidendus, priùs ab excubiis monetur.

Verùm ad §. II. operosâ responsione opus non esse patebit imò tribus eam verbis confici posse.

Qui infectionem, ceu illicitam, condemnant, suo sibi jugulant gladio. Consuetudinis quippè est illis, ut, si magnâ in familiâ infans benignis laboret variolis, suadeant jam cæteros infantes con-



*suescere cum eodem & condormire : quo & benignis illi afficiantur. Ergò hi idem consuetudine cum infecto faciunt, quod nos insitione; id si illis licet, & nobis inserere licebit.*

Resp. 1. sententiam horum medicorum prorsum erroneam esse : nam discretæ variolæ generant confluentes; confluentes discretas. Id quotidiana exempla demonstrant. Id etiam defensores insitionis publicis testimoniis de insitivo pure notarunt. Idem magnus *Boerhaavius* de benigno pure insitivo observatum scribit in præfatione, seu dissertatione potius, *morbos aphrodisiacos.* » Robustissimi agricolæ, inquit, » sanissimo sanguini pus de papulâ variolæ, particula vix conspicua, apice » aciculæ infigatur, quis mortalium credit ! en febrim omninò singularem, » sui semper genii tenacem, suo definitam tempore, propriis stipatam symptomatibus : mox erumpentes admirabilis papulas certæ formæ, naturæque, » intrâ determinatum tempus in abscessus purulentos qui degenerant, » quorum tanta sæpè glomeratur frequentia undique, ut omnis ferè sanguis, efficaciam mali, in malignum pus » conversus sit; totumque aliquando cor-



» *pus pessumdet*; atque minima rursùm  
 » particula virus idem gerat, sanumque  
 » corpus valeat inficere simillimo con-  
 » tagio “. Sed de magno hoc viro mox  
 adhuc quædam.

Resp. 2. sententiam erroneam non mo-  
 dò, verùm etiam illicitam esse, eamque  
 qui sequantur medicos graviter repre-  
 hendos; iisdem prorsùm de causis,  
 ob quas insitio condemnatur. Ubi enim  
 possibile est, separationi sanorum ab  
 infestis est semper studendum.

Fas fit hâc occasione monuisse, quod  
 incomparabilis *Boerhaavius*, inter insi-  
 tivæ methodi promotores, à multis per-  
 peràm recenseatur.

Verum quidem est eum in aph. scri-  
 psisse *prophylaxis insitiva videtur satis  
 certa tutaque*. At non adeò firma hæc  
 ipsi sententia in animo inhæsit, quin  
 multoties vacillaverit. Id patet laudatâ  
 mox præfatione, quam scripsit ad finem  
 anni 1727. pluribus ergò annis, post-  
 quàm illam sententiam suis inseruerat  
 aphorismis.

Adeò verum hoc ut, triennio ante  
 fata, me præsentem, testaretur, se malle  
 homines naturaliter, quàm insitione,  
 affici. En propria verba quæ ex ore  
 hujus medicinæ oraculi exscripti: „ Si



» puer conversetur, & condormiat cum  
 » puero bonas variolas habente, ille  
 » non habens contagii suspicionem,  
 » tunc adhuc tutius per deglutitio-  
 » nem ordinariam miasmatis, quàm per  
 » insitionem, habebit, & æquè bonis  
 » variolis laborabit. Quærent à me an  
 » debeat insertio fieri? Dico tantùm,  
 » quod cum illo infecto conversari de-  
 » beat: nam plerumque afficietur, si  
 » non semper, neque insitione factâ  
 » omnes laborant eo morbo. Hinc ca-  
 » non in numerosis familiis, ut, si  
 » unus puer laboret, omnes alii, qui  
 » nondùm variolis laboravere, cum  
 » illo puero includantur.

Sanè qui semper & unicè ex iis,  
 quæ in *institutionibus* & *aphorismis* ty-  
 pis impressa leguntur, concludere ve-  
 lint quæ mens *Boerhaavio* fuerit, næ  
 toto errant cœlo. Mutavit enim sen-  
 tentiam sæpè, eamque mutatam no-  
 biscum communicabat: typographis  
 nihilominus eodem semper modo de-  
 ficientes hos libros recudentibus. Nun-  
 quàm ibi legitis mutatam de dupli-  
 caturâ peritonæi sententiam: hanc ta-  
 men duplicaturam ex *Swammerdam-  
 mio*, *Ruischio*, *Douglasio*, negabat in  
 collegiis: negabat in præfatione ad



*Swammerdamii bibilia naturæ.* Si quis crederet se mentem magni viri benè capere ex cap. *de morbis gravidarum*, de *partu difficili*, de *puerperio*, de *lue venerea*, ille immensum erraret; quum in collegiis planè diversa discipulos erudit.

Fuère anni cùm textum suum de insitione ne ullo quidem verbo commentatus esse visus sit, ut concludere datur ex *spuriis comment. an. 1731. Lond. apud. Knebel & Knapton, editis.*

Interim, ex responso ad hanc ipsam quæstionem paulò ante dato, patuit me *Boerhaavii* consilium, de consuescendo cum puero infecto, minimè adoptare. Attuli id duntaxat, quo mens ejus circa insitivam methodum patefceret.

Ex omnibus hucusque dictis evidenter patet, *neque directè, neque indirectè*, unquam ad gravem hanc primam quæstionem à defensoribus inoculationis responsum esse; id verò demùm ut faciant, ne ultrà utilissima eorum methodus *procrastinetur*, necessariò requiri.





## §. II.

*Utrum insitiva methodus plures, quàm via naturalis, in vitâ servatura sit?*

**H**oc, ceu demonstratum, ponitur. Quippè ex naturalibus variolis septimus moritur, ab inoculatis vix millesimus. Ergò differentia est ut 1. ad 143. Itaque si ex primis 3000. moriantur, ex ultimis modò morientur 23. aut 24.

Respondeo iniquam omninò videri, quam inter mortuos utriusque classis comparationem instituant.

Variolis epidemicis, nunc benignioribus nunc malignioribus *Hage - Batavorum* grassantibus, carus ejus incolis magnum ægrorum numerum semper curandum habui. Felicissimæ meæ sub divinâ clementiâ curæ: in variis epidemiis, nemo mihi laudes auferet, nemo eripiet honorem. Meminerunt plures nobiles ibidem matronæ, dùm Viennam arbiturus ultimum vale dicerem, se lacrymabundas declarasse,



quàm exoptassent, ut, antequàm abiissem, universa proles variolis laborasset! Praxi oneratus omnium adornare historiam non potui; 220. tamen historiam exactè adornavi, ex quo nempè ingenium ad hunc morbum curandum deditâ operâ adplicui. Horum 220. hominum *unicus* duntaxat periit.

*Unicum* dico; quamvis quinque perisse notaverim. Sed simul notatum invenio, quod horum quinque primus omnem omninò potum respuebat, quod ad alterum re penè conclamatâ advocabar; à tertio V. S. nullâ ratione impetrare poteram; quartus spirituum vinique abusu ferinè exustus erat; quintus modò secundùm omnes artis regulas tractatus, & moriger, perierat.

Condonabitur mihi quatuor horum, ex quinque mortuis, exemptio: siquidem & hos eximi jure merito oportere perspicuè quisque videat, & magni viri ex suis inoculatis mortuis plures adhuc scrupulosius eximere soleant.

Vidi pariter paucissimos admodùm à variolis in *Hollandiâ* mori, curâ ejusmodi medicorum, qui, in cæteris, ità & in hoc morbo, optimâ methodo uterentur. Idem observo *Vienna*, vicinisque in urbibus, sub bonorum medi-



corum curâ. Idem de se, aliisque, testatur clariss. *Laberus*, tract. in-8<sup>o</sup>. *Jena*. 1730.

Ægrè ergò nemo ferat, quod comparationem naturales inter, insitivæque variolas, quam multi insitionis patroni, posuerint, non admittam. Plura profectò vidi, evidentiora expertus sum, quàm eandem ut admitterem.

Quare, si his auctoribus relictis, eos adeamus, qui centesimum, ducentissimum, trecentissimum ab insitione obiisse enarrant, notabilis non supererit mortuorum utriusque classis, differentia. Si id ità se habeat, bellum hodiernum de insitione incassum geritur. Sed reliqua argumenta excutiamus.

*Cura insitiva facillima est; cura naturalium difficultatibus scatet: inde necessario mortuorum numerus in his, quàm illis, major.*

Resp. 1. Si curæ insitivæ non probetur licentia, frustrà ejus facilitatem laudari.

Resp. 2. Comparationem hanc iterùm nimiâ fieri exaggeratione. Nam utræque sæpè faciles; neutra magnis sæpè difficultatibus caret. Quod variolæ naturales facillimè tolerentur, ægrique vix ægrotent; vix lectis in-



hæerere cogantur, vix jacturam patiantur venustatis; multoties vidi, videre medici omnes. Quod malè admodum, & periculosè ab iisdem ægri decumbant, haud rarò dolui: sed simul vidi optimos viros idem de insitivis publicè fateri.

*Differentiam majorem arguit pus semper benignus adhibitum in inoculando.*

Corporum diversa dispositio majorem differentiam facere videtur, quàm puris benignitas. Nec desunt inter insitivis patronos, qui idem in insitivis animadverterint. Constititque idem ex *Boerhaavii* allato textu §. I. Observatio quotidiana id in naturali contagio docet. Eodem contagioso tempore, eodem in cubiculo, primus fortè infans, & paucas habet, & faciles variolas; alter haud quidem numerosas, sed molestissimas; tertius multas, levesque; quartus ferè lethales: & iterùm in alià familià vicibus omni modo permutatis.

*Verùm preparantur corpora ad insitivas, & non ad naturales. Preparati proindè mitiùs habebunt. Minùs proindè morti expositi erunt.*

Non diffiteor quin intersit, utrum *Socrates* afficiatur variolis, an *Epicuri* de grege porcus; differentiam tamen mi-



norem eâ , quæ vulgò ponitur , pono. Patuit id publicis scriptis ab insitionis aut patronis , aut saltèm sic creditis , editis. Et quàm parùm sæpiùs ad futuras naturales variolas vel optimæ præparaciones conferant , agnovere *eruditi edimburgenses* , *act. Edim. part. 3. §. 2.*

» Quamvis , *inquiunt* , venæ sectio  
 » in principio variolarum pluribus in  
 » casibus manifestò levaret , discerni ta-  
 » men non poterat , an V. S. , sive ea  
 » institueretur ante febrem variolosam ,  
 » sive post manifesta ejusdem sympto-  
 » mata , quidquam prodesset ad va-  
 » riolarum , tum naturam determinan-  
 » dam , tum frequentiam. Pluribus enim  
 » illorum , quos V. S. purgatio , fon-  
 » ticuli , tenuisque ac refrigerans diæ-  
 » ta , bellissimè præparaverant , con-  
 » fluentes , malignæque admodùm va-  
 » riolæ , contingebant. Aliis verò ,  
 » eâdem planè methodo tractatis , ut  
 » & *ingenti numero* eorum , quos ars  
 » minime reparaverat , *benignæ* ob-  
 » tigere. Nonnulli qui , mercurio cu-  
 » rati , notabili adhuc tempore æthiope  
 » minerali utebantur , confluentibus  
 » periebant , & peribant «.

Igitur fallunt sæpè vel optimæ præparaciones , plurimis non præparatis



morbus levissimus est. Non est ergò hæc, quæ convincat, regula. Pergamus ad alia.

Qui artem medicam ritè calleant medici, sunt rariores, bonaque proindè eorum methodus servabit paucos. In pagis remotis, in locis abditis, in quibus aut reperiendus medicus non est, aut super variolis consuli non solitus, summum erit semper à naturalibus periculum. Imò multi medicis utuntur quidem, at non obediunt, quamobrem toties bonus Sydenham agros suos immorigeros vel periclitatos, vel mortuos, lamentabatur. Augescit semper hinc periculum in variolis naturalibus.

Inducta insitiva methodus his omnibus mederetur. Ut enim Londini, & alibi, laudabiliter institutum, ità ubique, hunc in finem, consecrari noscomia possent, in quibus insitio gratis administraretur. Ità in omni regione, singulo mense, aliquot centeni curari possent facile: nam requireretur ibidem modò unus, remuneratus, medicus directior, cujus nutui ceteri medici & chirurgi parere tenerentur. Opus porrò hoc inoculandi elapsis aliquot annis ità decresceret, ut deinceps pauci semper inoculandi superessent. Dignum attentione argumentum!



fed dico 1°. quod jam sæpiùs, si operatio illicita est, argumentum, ut ut speciosum, sponte ruit.

Dico 2°. Erit perpetuò numerus eorum ingens, qui se, suosque, oblatae gratis inoculationi submittere recusent. Capiantque nosocomia infimam modò plebem. Melioris verò sortis homines, boni cives, nobiles, qui suis in ædibus inoculantur, periculo expositi erunt in malos medicos incidendi, vel erunt bonis suis medicis immorigeri: ut etiam hisce de causis infelicis institutionis effectibus subjaceant.

Sed dico 3°. si hoc consilium ità laudandum est, destinentur publicà auctoritate eadem nosocomia in quavis regione, ut inibi, quovis epidemico tempore naturales variolæ gratis curentur, cum veniã accedendi, ad levissimam suscepti contagii suspicionem. Ità omnes iis de locis, qui medicis, saltè eruditis, careant, commodè curabuntur: quandòquidem unus saltè intelligens rerum medicus ibi aderit, cujus imperio ceteri medici pareant. Sic etiam his incommodis provisum erit in variolis naturalibus, citrà ullam necessitatem institutionem ideò præferendi.



Sed ultra progrediendum. Si res ita se, ut dixi, habet, legitima suspicio subit animum, num vigente inoculatione plures à variolis non moriantur, quam eadem repudiatà?

Contagium enim majus, minusve, æquè ab insitivis habetur, quam à naturalibus. Quamvis enim nonnulli auctores certà de causâ insitivarum contagium minuunt, tamen ipsi aliam ob rationem idem, ut & cæteri passim omnes, admittunt; patheticèque, jure merito, aliquandò describunt.

Igitur si in urbe, in quâ nullæ variolæ quis insitionem sibi fieri curet, poterit urbem hanc contagione inficere.

Sed, inquiunt, faciat hoc in urbe, in quâ nunc variola jam grassantur. Fiet ita, ut qui eâ in urbe hoc morbo deinceps affliguntur, potiùs à contagio naturali affligantur, quam ab inoculato.

Non attendunt hi viri ad id, quod aliâ occasione toties inculcant: insitivas nimirum tunc periculosas esse, quandò vel ante insitionem, vel post eandem, contagium epidemicum accesserit. Velintne hoc concilio ut homo infelicitis inoculationis periculo se sponte exponat?

Hinc excogitavere aliud consilium.



*Inoculandus*, inquit, *ades feligat*, in quibus *incola nulli*, nisi *variolas passi*. *Nemini existet tunc causa contagii*.

Resp. 1. Nemo certitudinem absolutam habet se variolas iteratò non habiturum; ut patebit §. IV.

2. Oportet ad ægrum accedant medicus, chirurgus, pharmacopæus, confessarius, necessarii, custodes: qui suscepto vestibus contagio urbem inquinant.

Centeni homines rerum agenda-rum causâ toto illo tempore herum ædium pro consuetudine accedent, periculi ignari. Etiam qui sordida corporis, lectique, linteamina lavant, omnes hi inevitabili contagio obnoxii hærent.

4. Ejusmodi consilium, si probaretur prodesse quidquam, locum non haberet nisi in paucis inoculandis; impossibile prorsùm esset, ubi multitudo hominum inoculanda foret, ut sufficientes numero ædes hujusmodi inveniri possent. Ergò & inutile consilium, & inane.

Perstat ergò dicta mox propositio, quod inoculatorum contagium aptum natum sit, multos alios suo ut adstet veneno.

Contagii propagatio utrùm fiat ab



uno homine ad plurimos, an verò ab uno ad paucos, ab his paucis ad multos, à multis ad plurimos; nos later, sed quâcumque demùm ratione fiat, incredibiliter multiplicari se posse demonstrat. Differt tamen hæc contagii multiplicatio valdè in variis temporibus. Durat multiplicatio hæc, donec demùm ejus veluti aculeus obtundatur & hebescat; morbusque ille epidemicus minuatur, & tandem cesset.

Quam vim contagii multiplicantem determinare nequeo, ponam pro exemplo decem homines in urbe quâpiam inoculari, singulosque eorum afficere alios novem; ità ut jam simul 100. adsint, qui variolis decumbant.

Quibus justo major hic calculus adparet, hi demant ei, quantum ex suis observatis constare sibi putent; semper manebit vis argumenti: qui eundem justo crediderint minorem, addere modò illi velint, quod deesse autument.

Si igitur à 10. inoculatis alii 90. afficiantur contagio, quid futurum tunc, quandò, quod quibusdam in voto fuit, in magno regno intrà 30. annos millio hominum inoculata, adeoque in vitâ servata fuisset, moriente



32 Q U Æ S T I O N E S  
cæteroqui à naturalibus singulo septimo ?

Periissent eorum gratia 1285714. homines. Nam si millio variolis insitivis spatio triginta annorum decubuit, novem milliones aliæ debuerent naturalibus laborare.

Ergò millio, & plusquam quarta millionis pars hominum, inoculatorum gratia peribunt, si verum est, quod unanimiter ferè defensores inoculationis dicunt, à naturalibus septimum quemque perire. Septies enim 1285714. faciunt 9000000. modò duo addideris totali.

Nolo his mortuis eos addere, qui, in tantâ inoculandi crebritate, sive incuriâ, sive inobedientiâ, perire possint.

Quicumque verò, ut suprâ jam monui, me in calculo ponendo excedere putet, videt saltèm multùm propagari contagia; adeoque insitivam methodum horrendis laborare sequelis, ad quas viri optimi, qui in ejus laudibus adeò profusi sint, neglectivè attende-  
rint.

Regeri equidem potest, quò magis increbrescat insitio, eò fore, qui naturaliter afficiantur, numero minores:  
adeò



adeò quidem, ut demùm vix pauci, quos contagium afficiat, superfuturi sint.

Resp. 1. Saltèm quo primo tempore frequentissima sit insitio, eodem tempore numerosissimi erunt, qui naturalibus variolis possint affici.

Resp. 2. Erit perpetuò non numeranda hominum multitudo, quos metus quisquam ab insitione deterreat, quosque proindè crebra insitio naturalibus variolis afficere queat.

Si respondeatur hos ultimos, quòd remedio salutari reluctentur, suum sibi lethum debere.

Dico 3. Infantum necdùm biennium innumerabilem turbam semper habebimus. Sin verò contrà insitorum propria observata insitio incipiat & biennio minoribus institui; erit quidem, qui variolis naturalibus affici queat, minor infantum numerus, at verò dubio procul insitio infortunatior, mortisque feratior. Ætate majores innumeri nunquàm non aderunt. Hominum aut imbecillioris valetudinis, aut diatheseos scorbuticæ, phthisicæ, arthriticæ, veneræ, turba vix numeranda perpetuò aderit. His porrò omnibus



cùm infectio denegatur, millionses hominum jugiter aderunt, quos infectivarum contagium naturalibus afficiat variolis.

Quin ultima hæc recensita debiliorum, aut acrimoniâ laborantium classis; judicatur veneno, etiam infectivo, perferendo ineptior, adeoque & infectio hanc ipsis ob causam denegatur: quantane igitur horum futura strages, si eisdem naturales variolæ, quas adeo perniciosas censent, impetiverint!

Videant ergo patrôni infectivæ methodi quàm ex suis ipsorum principiis hæc methodus noxia futura sit generi humano!

### §. III.

*An certo certius quivis penè homo variolis, seriùs ocys, afficiatur?*

**T**ÆDIOSUM admodum quæstionis hujus, ut & sequentis, examen est. Indecorum quid in eo occurrit, quod nunquam inter honestos viros locum



deberet habere. Vix citrà indignationem percipitur, quo indigno modo, viri in arte optimi, qui sapientiâ, pietate, candore, dùm viverent, deliciae patriæ, ornamentaque artis & columinæ erant, nunc suggillantur à recentioribus; & absque ullâ hæsitacione, aut mendaci accusentur, errorisve, aut inscitia. Id porrò hâc in re sic se habet, ut patebit.

Priusquàm de insitione in *Europâ* cogitatum, æquè conspicuæ, æquè apud quosvis in confesso erant notæ, quibus veræ variolæ à spuris distinguerentur, quàm hodie.

At verò antequàm de insitione in *Europâ* cogitatum fuit, cum optimè cognitis his distinguendi notis, tam certum erat, quàm quod certissimum, complures homines sine variolis mori; plures iisdem bis, pluriésve affici.

Ergò hæc duo negantes scriptores, vel mendacii arguunt innumeros, qui ante ipsos de variolis scripserint, quod hæc duo strenuè docuerint; vel accusant incuriæ, quod nempè veras utramque speciem discriminandi regulas cognoscentes, easdem ad datos sibi casus oscitanter adplicuerint.



Quo demùm jure id recentiores audent, nullus video. Est enim veterum auctorum hæc duo statuentium densum adeò agmen, ut si quis crassam fatis dissertatiunculam, quæ sola horum testimonia collecta referat, à me quæsierit, me brevi daturum pollicear.

Hæc porrò omnia negare velle, auctoresque illos aut turpis mendacii, aut oscitantiaè haud condonandæ insimulare; est omnem abjicere honestatem, omnem hominum fidem subvertere, omne eruditorum delere consortium. Quis, amabo! observata sua publicæ lucis facere postmodùm ausit?

Verùm absit omnes ità erga venerandam antiquitatem egerint! Insitorum moderatiores sæpiùs facti sunt vigesimum quemque hominum variolis expertem mori. Cum his paulisper agendum est. Si dederimus ipsis hoc, quod plures sine variolis non moriantur, videant ipsi, quantus jam numerus eorum inter mortales existat!

Si *Lutetia Parisiorum* 800000, incolarum numeret, ut vulgò statuunt, erunt eâ in urbe semper 40000. homines, quos variolæ invadant nunquam.

In provinciâ *Hollandiæ* millionem



numerant inocularum. *Hollandia* ergò perpetuò habebit 50000. incolas ab hoc morbo factos rectos *Amstelodamo* dant millionis quartam. Ergò ea urbs jugiter habebit 12500. cives, qui per omnem viam variolas ignorent.

Si tota *Gallia* continet, ut volunt, 20. milliones hominum, erit assidue millio hominum nunquam variolis afficiendorum.

At plures fortè immunes manent. Variolis crassantibus sedulo inquisivi quinam ex familiâ, aut ex necessariis, vicinisve, qui inficiendas brevi ædes frequentare solerent, necdùm variolas passi essent. Ostupui horum numerum, meamque admirationem multis sæpè testatus sum. Equidem supposui semper dari quosdam, qui earum ultrà non recordarentur; verùm & relicta in plurimis vestigia id docuissent, & multorum parentes saltèm meminissent. Sanè horum plures lapsu 20. annorum mortuos novi sine variolis.

Ipsi inoculationis defensores nequeunt saltèm ex suis ipsorum principis, amovere hanc legitimam suspicionem, an non plures insitione variolas patiantur, quàm viâ naturali passi essent. En cur id dicam.



Nobilis aretinas, *Fr. Rhedi*, in *obs. de viperis*, à viperarum captore *Jacobo Sozzi*, unà cum totâ suâ eruditorum, ineptè de viperis differentium, turbâ derisus, didicit, & experimentis deinceps evicit, venenum viperæ, unà cum spumâ ejus irritatæ oris, inculpatè ab hominibus, pluribusque animalibus, ad dragmas usque ore imbibi; sed ipsius hujus veneni vigesimam guttulæ partem, hominis, tauri, equi, aut cujuscumque animalis sanguini, factò vulnuscùlo, adplicatam, seriùs ocyùs, passim tamen intrâ quadrihorium, certam inferre necem.

*Bosman* in *descr. Guinæe epist. 17.* narrat serpentem, veneno morstu adplicato lethiferum, cùm mordere hominem non posset, venenum tamen suum, & spumam, illi in faciem, pleno rivo, insputasse: hominem quidem à violento veneni jactu veluti cæcum fuisse, at verò incommodi nihil deinceps habuisse.

Oleum tabaci fumando, & maximè fistula fumo frequenti denigrata, ori adplicitum, cum saliva deglutitum, non nocet. *Rhedi* in suis experimentis, *Schoon* in suâ *tabacologiâ* animadver-



tere venenum præsentissimum esse dum, facto vulnere, minima modò guttula cum sanguine communicatur.

*Bantamenses* tela veneno inficere norunt, quod certò, quotquot tangit, necat. Tela hæc ubi à *Batavis* sibi comparaverat *Rhedi*, vidit omnia animalia, indè vulnerata, occidere. Eadem tamen tela vino infudit, animalibus dedit, innocuè assumpsisse vidit. Vid. *Rhedi tract. de exp. circa res nat. max. indicas.*

Est quidem eâ in similitudine disparitas, quod venena hæc enarrata, sanguini adplicata, necent; deglutita verò, aut alio adplicata modo, innocua sint; venenum verò variolosum homines, quovis modò adplicatum, lædat: attamen jure merito suspicamur an non variolosum venenum, immediatè cum sanguine communicatum, plures homines adficiat, quàm, afficerentur viâ naturali; siquidem venena quædam alia, licèt nihil noceant deglutita, tamen mortem conciliant cum sanguine communicata?

Sed suspicio hæc ipsa certitudinem parit. Nonne fatentur insitivæ methodi auctores suam insitionem afficere om-



nes, qui eam subierint; excepto fortè, ut quidam statuere, vigesimo quoque? Dignentur nunc intueri illum, quo naturale contagium agat, modum! Sint decem infantes in unâ familiâ. Afficitur unus alterve, aliquandò pluries: quinque, sex, septem, non afficiuntur. Horum unus alterve post elapsos 2. 6. 10. annos variolas habet, alius adultus; unus alterve fortè, quantum scimus, nunquam. In orphanotrophiis sexcentorum infantum, erunt uno contagii tempore 20. qui eo afficiantur; alio tempore 50. dum interim 200. 300. 400. iisdem in ædibus existant, necdum variolas passi. Attamen insitione ibi institutâ, omnes, nunquam infecti, nunc haberent variolas, vigesimo fortè excepto.

Ergò longè plures artificiali, quàm naturali afficiuntur contagio. Si id verum, utique venenum variolosum longè penetrantius est arte quàm naturâ, applicatum. Si verò penetrantius, oportet sanè multos inoculatione adfici variolis, qui viâ naturali iisdem affecti non fuissent.

Si jam vigesimus quisque sine variolis naturalibus moritur, & contagium



naturale longè debilius est artificiali; consequitur id, plures numero homines inoculatione variolas contrahant, quàm naturali viâ contraxissent.

His ità consideratis cogor fateri nonnullos non malo animo, sed erroneo, egisse, qui sententiam majorum nostrorum tam acriter perstrinxerint. Quum enim insitione fermè omnes variolas contrahere crederent, non cum exceptione vigesimi cujusque, ut quidam statuerant, sed cum exceptione admodùm paucâ; quumque prætereà illos modò, quos naturâ, etiam arte affici supponerent; necessariò falsa debuerunt credere, quæ de magno eorum numero, quos variolæ nunquàm petant, innumeri scripsissent.





## §. I V.

*An citrà ullum dubium insitio, sive effectum sortita, sive irrita, hominem per omnem vitam à secundis variolis immunem præstet?*

**P**RÆCEDENTEM §. adortus, etiam ad præsentem quæstionem pro parte respondi, unaque cum eadem agitavi.

Præter veterum indubitata testimonia, secundas variolas admittere me cogunt exempla indubitatae fidei. Non referam narratiunculas matronarum, quæ licet veræ aliquandò essent, tamen æquè mihi, quàm aliis, suspectæ forent; sed quæ ipse, aliique mecum, viderunt, quæve habeo ab iis, quorum fides nemini suspecta esse possit.

Ac primò quidem dico me, in frequenti meâ variolosâ praxi alteras toriès variolas observasse, ut demùm riderem eorum securitatem, qui quod eas olim habuissent, jam, nihil sibi à



præfente in ædibus contagio formidarent. Didiceram propriâ ignominiâ cauti-  
 or esse; cùm aliquoties, ex relictis  
 priorum vestigiis, immunitatem non-  
 nullis pollicitus, & me, & ipsos, tur-  
 piter deceptos cernerem.

Meminuerunt in *Hollandiâ* multi quo-  
 ties, contagio grassante, ejusmodi  
 exempla ipsis enarraverim.

In *Austriâ* id quoque non miran-  
 tur, quique idem affirmant reperi-  
 i. Quid quod idem hâc ipsâ in urbe quem  
 vivimus anno, notabili constitit exem-  
 plo?

1757. 20. Febr. expertissimus &  
 doctissimus medicus *Ernel* narrat ca-  
 sum se habere. Rem coram videre ge-  
 stiens, 21. Feb. puellam, quæ se-  
 cundas variolas pati dicebatur, cum  
 ipso adeò facto accurato examine, se-  
 quentia constitere.

1<sup>o</sup>. Pater, mater, avia, narrabant qua-  
 tuor elapsos annos esse, cùm variolis  
 adeò confertissimis puella laborasset,  
 ut vix vacuum ab iis spatium toto da-  
 retur corpore: fuisse verò maximam  
 partem distinctas; pauciores modò in  
 vesiculas abeuntes. Caput vehementer  
 intumuisse, infantem per novem dies  
 gravissimè laborasse, perque alios no-



vem dies adhuc malè, at mitiùs quàm prioribus, habuisse.

2<sup>o</sup>. Et oculo nudo, & microscopio, vidimus per universam faciem, inque manibus hinc indè, foveolas intropressæ cutis tum innumeras, tum cribri foraminum instar sibi contiguas.

Igitur testimonium parentum, & ipse non dubius adspectus, prægressas variolas cuicumque, etiam non facilè credulo, demonstrant. Considerandus nunc status præsens.

1<sup>o</sup>. Parentes narrabant, narrabat & medicus, qui jam à primo contagii apparentis tempore puellæ adfuerat, infantem per quatuor ferè dies febricitasse dein convulsam esse, tandem variolis die 15. Febr. affici, cœptam.

2<sup>o</sup>. Variolas has die 10. morbi, ab eruptione septimo, vidi discretas, paucas in facie, passim exsiccatas: unam verò suprà fontem in cute capillatâ insignem, cum circulo rubro, pure plenam; plures verò tales in toto dorso: infante vix ægrotante.

Altero die quatuor adfuimus medici, quos inter, qui insitionem propugnarent, bini. Vix ab hesterno die ulla mutatio suppurantibus pustulis obtigerat. Veras has esse variolas, secur-



dùm artis regulas accuratè adplicitas, declaravimus omnes. Si verò sint, qui de prioribus dubitent, poterunt in viciniâ meâ puellam apud honestos suos parentes examinare; turpibus numerosisque stigmatibus conspectis, ultrà non dubitaturi.

Ut hoc exemplum est, plura alia vidi, adnotavi.

Dicere ergò liceat; si hæc sententia de secundis variolis demonstrata non sit, nihil in medicis aut physicis demonstratum haberi.

Ergo neque variolæ, insitione comparatæ, hominem ab alteris variolis præstabunt immunem.

Contra tamen asseritur à 30 annis, quibus insitio floruerit, id nullo probato exemplo constituisse; imò nullo certo exemplo evictum esse, quod cui olim bis, ter, irritò conamine insitio facta esset, variolæ naturales postmodum accesserint.

Narrantur hæc, sed non probantur. Imò, quod non sine intimo animi dolore recolo, nullibi minùs dominatur veri amor: nullibi mens præoccupata, nullibi dominium in arte turpius elucescit, quàm in præsentì quæstione.

Etenim dubias variolas à certis dif-



tinguendi regulas haberne ars, nec ne? Adesse tales, easque tutas, & certas, fatemur omnes. Nolim alias regulas ab illis, quas in multorum acerri-  
morum insitionis defensorum scriptis relatas video. Sunt veræ artis regulæ, quas ipsas, non alias, majores nostri coluere, & secundum quas à pluribus retrò sæculis veræne variolæ, an spur-  
riæ essent, determinatum fuit.

Hæ sane viderentur ad omnem litem determinandam sufficere. Verùm olim id sic quidem sufficere solebat; hodie aliter nobiscum comparatum est. Si cuiquam veræ variolæ in 7. 10. diem suppurantes fiant, appellabuntur *veræ* quando nullæ sive naturales variolæ, sive artificiales, sive irritæ insitiones, prægressæ sunt: sin verò præcesserint, erunt duntaxat *spuria*. Siccine cum arte, bonisque artificibus, ludere convenit? An artis regulæ omnibus probatæ, & laudatæ, cujusque arbitrio subsint? saltem cessent tunc regulæ nomi-  
nari.

Sed præterea, id genus plura moderatos offendunt lectores. Si medicus ordinarius, si publicus artis medicæ professor, quas videt variolas, ad-



plicatis artis regulis, veras indubitato pronuntiet; & nihilominus sive ipse patiens, sive ejus familia, sive insitionis patroni, prægressam inoculationem tueri velint; præstare creditur hos medicos malevolos, deceptores, sycophantas appellasse, quàm permittere ut insitionis fama cadat. Turpe videre est testimonia dubia nutricum, cubiliorum, pedagogorum, sufficere, ut boni medici multis postea annis videant sese in publicis scriptis fraudis insimulari. Nil loquor nisi quod publica scripta referant. Siccine didicimus debitum omnibus servare decorem? Etiamne hæc apta via convincendi dubitantes?

Nemo igitur miretur, quod tam pauca exempla naturalium variolarum, post insitivas, viceque versâ, publicæ lucis fiant. Deditâ operâ argumenta præparantur ad futuros quoscumque casus. Si enim quis demonstraretur variolas naturales veras habere, cui insitivæ quondam affuissent, hunc pronuntiabunt pure insitum spuriarum. Si frustrâ olim factæ insitioni veræ variolæ succederent, vel idem responderent, vel non satis iteratam inoculationem accusabunt. Quid, si exempla plura demonstrent pus, insitioni adhi-



bitum, veras in aliis produxisse variolas, & vel veras variolas indè hominem habuisse, vel ad duas tresve vices frustra fuisse inoculatum, & tamen nunc iterùm variolæ prodeant? Audacter pronuntiabunt præsentēs veras non esse. Sed regulæ artis curatissimè adhibitæ veras esse clamant? Erramus: sunt spuria.

Tamen ut naturales, variolæ repetunt, ita & variolæ insitivæ possunt haberi post naturales; naturales post insitivas.

Hâc occasione historiam proferre animus est, quæ undique æquè mirabilis, & ad casum præsentem aptissima.

*Constantinopoli* variolæ inferuntur puellæ. Viginti annis postea eadem puella curam gerit infantum aliorum, qui variolis insitivis decumbunt. His periculo ereptis, ipsa variolis naturalibus maximè malignis afficitur, moritur.

Forſan cogitabunt multi fictam historiam esse odio insitionis; vel saltem primas variolas non veras, sed spuriarum pure factas fuisse; & centena alia. Juvabit proindè epistolam authenticam communicare, quam habui à magnifico domino *Laugier*, sacrae utriusque majestatis medico, qui olim *Constantino-*



*poli* habitans , hanc puellam , familiam-  
que ejus totam , optimè noverat , &  
urbem illam , dum incipiebat puella  
hæc reliquis in insitivis variolis assiste-  
re , reliquerat.

Auctor epistolæ est doctiss. D. *Mac-  
kenzie* , tunc *Constantinopoli* degens ,  
orbi erudito notus his , quæ pulchra  
communicavit cum societate regiâ *an-  
glicanâ* edita in *Transact.* tomis aliquot  
posterioribus.

» Il arriva un cas dans la maison  
» de M. *Hibsch* qui suffit pour décrier  
» pour jamais l'*inoculation*.

» Il faut savoir que *Coconam Timoni*  
» avoit été inoculée par son pere le  
» docteur *Timoni* , il y a vingt ans ;  
» & qu'il prétend dans sa Dissertation  
» sur l'*inoculation* , qu'on n'est jamais  
» attaqué naturellement , après l'*ino-  
» culation*.

» Les enfans de M. *Hibsch* ont été  
» inoculés dans le mois de Juin passé ,  
» comme vous savez. Pendant leur  
» maladie *Coconam Timoni* étoit leur  
» garde ; & après leur rétablissement ,  
» elle étoit attaquée naturellement de  
» la petite-vérole , & morte en huit  
» jours.

» Je ne l'ai pas vue dans sa maladie ,



» mais je suis fidèlement informé, qu'elle  
 » avoit la petite-vérole, & que c'étoit  
 » par la malignité de cette maladie,  
 » qu'elle est morte.

» Depuis ce temps-là j'ai attendu  
 » pour faire quelques observations sur  
 » les enfans de M. *Pisani*, qui devoient  
 » être inoculés, comme leur pere m'a-  
 » voit assuré : mais à présent il a chan-  
 » gé son sentiment pour cette raison.  
 » *De Constantinople* le 20 de Mars  
 » 1742 «.

Fortè quis infirmare fidem historiæ  
 conabitur, quod egregius *Mackenzie*  
 ægram non viderit. Certè cur non vi-  
 derit, ignoro. Num eo tempore ægro-  
 taverit? Urbe absens fuerit? Cum fa-  
 miliâ domini *Hibsch*, ejusve medico,  
 simultates habuerit? Causam cur eam  
 non viderit in epistolâ non dedit.

Sed consideremus 1°. auctorem epi-  
 stolæ hominem levis animi non esse,  
 at maturi judicii, ut ejus scripta docent;  
 virum proindè, cui ad aniles confa-  
 bulationes aures minime fabrefactæ  
 essent.

Consideremus 2°. fautorem & pro-  
 motorem insitionis fuisse; qui quidvis  
 fortè potiùs, quàm alteras, & alteras  
 post insitionem variolas, possibile cre-  
 didisset.



SUPER INOCULATIONE. 51

3<sup>o</sup>. scripsisse ad magnificum *Laugier*, insitionis cum illo fautorem, ad quem circa ejusmodi rem non nisi curatissimè examinata referri debuerint.

4<sup>o</sup>. eundem examen debitum instituisse, ut verba ejus indicant: quo in examine si vel minimam suspicionem alius morbi, quàm variolosi, subesse intellexisset, suam utique suspicionem unà cum historiâ hâc, erudito cum amico communicasset.

5<sup>o</sup>. Consideremus patronum hunc insitionis, si de historiæ veritate adducendi rationem quodammodo probabilem habuisset; dubio procul conaturum fuisse omnes christianos græcos educere ex errore; & saltem illum, qui ob tristem hunc casum infantes suos sibi inoculandos committere negabat, erudire veriora: at vero è contrario candidè asserentem legimus: » Je suis » fidèlement informé, qu'elle avoit la » petite-vérole, & que c'étoit par la » malignité de cette maladie, qu'elle » est morte «.

6<sup>o</sup>. Tandem perpendamus eruditum *Mackenzie* non in primo impetu, sed elapsis integris novem mensibus, demùm hanc epistolam scripsisse; adeoque factum ritè examinandi occasionem habuisse.



De infitionis porrò bonitate non est quod dubitemus, si perpendamus infitionem huic filiae non ab ignaris, aut semidoctis hominibus, institutam fuisse, sed à patre suo, famosissimo illo inoculatore medico, infitorum, oraculo, summoque propugnatore *Timoni*. Cujus infelicitèr è vivis erepti vidua nupsit Domino *Hibsch*, de cujus infantibus hìc agitur. Ergo dantur verè naturales variolæ post infitivas. Et quidni? æquè facilè videntur nasci posse, quàm secundæ naturales.

### A P P R O B A T I O.

**I**LLUSTRISSIMI Galliarum Cancellarii jussu attentè examinavi volumen sextum *Rationis Medendi* clarissimi *Antonii De Haën*, eumque censui dignissimum, qui typis gallicis mandaretur. Parisiis die 3 Martii 1769.

DESCEMET.

F I N I S.

Ex Typographiâ CLOUSIER.



del















UNIVERSIDAD DE CÁDIZ



3741912209



